M ad

BREVE COMPENDIUM

VITÆ SPIRITUALIS

ET

DEVOTÆ,

Cum Omnibus Actibus
Virtutum tam Externis
quam Internis,

Vnicuique Statui Accommodum,
Rythmo expressum,

Cunctis Salutis Æternæ Studiosis
Per Religiosum Monast. Oliven.
Ord. Cisterciensis.

Erem Camald Montis Regij ad Varsav...

Typis ejusdem Monasterii
mandatum.
Anno Salutis Humanæ
1685.

Imprimebat JOA. JACOBUS TEXTOR
FACTOR.

Fr. Joannes de Rokſzyce Zapolski Divina Vocatione Abbas Landenſis Sac. Ord. Ciſt. Protonotarius Apoſtolicus, per utramq; Poloniam Pruſſiam & Lirhvaniam Commiſſarius & Vicarius Generalis J. V. D. S. R. M. Secretarius.

CVm Liber cujus Titulus Breve Compendium vitæ Spiritualis nihil Orthodoxæ Fidei diſſonum, quinimò omnia ſpirituali utilitati adaptata contineat Ideo eundem, Noſtrâ quâ fungimur poteſtate, typis in lucem vulgari tam Polonicè quam Latinè permittimus. In quorum fidem præſentes chirographo noſtro & conſueto ſigillo munimus. Dat. in Mon. Land. 6. Dec. A. D. 1684.

Fr. Joannes Zapolski Abbas
Land. Com. & Vic. Gen. Sec. R. Mtis.

PARS I

De Vitâ Spirituali.

Via Compendiosa & Semita Recta, per Quatuor Gradus ad Salutem Æternam.

PArate Viam Domino, rectas facite Semitas ejus. Matth. 3. 13.
Semita Justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. Isa. 26. 7.
In Semitis Justitiæ Vita. Prov. 12. 28.
Justorum Semita quasi lux splendescens procedit, & crescit usque ad perfectum diem. Prov. 4. 18.
Dirige me in Semitam rectam. Psl. 26. 11.
Perfice gressus meos in Semitis tuis. Psal. 16. 5.

CVm Liber, cujus Titulus, Breve Compendium vitæ Spiritualis, diligenter per A. R. P. P. Theologos Soc. JESU revisus, & ad inventus doctrinæ Rom. Catholicæ Ecclesiæ conformis, Christique fidelibus perutilis sit; ideò facultatem concedimus, ut tam Polonico, quàm Latino idiomate, typis Olivens. mandari possit. In quorũ majorem fidem manu Nostra Nos Subscripsimus, & Sigillum apponi fecimus. Datum Gèdani Die 20. Decembris 1684.

Joannes Josephus Martini
Præpositus Decanus Meve. Surrogatus Gedanens. & per Pomeraniam. mppria.

PRIMUS GRADUS
Puritas Cordis & Intentionis.

QUi vult brevi & rectâ viâ festi-
nare
AdCœlum; ac lapsum adOr-
cum evitare:
Basi veræ fidei firmus innitendo,
EjusConfessionem frequens peragendo:
Sangvinem profundere pro illâ paratus,
Et mortis excidium pati resignatus:
Debet primùm ab omni culpâ præca-
vere;
Tanquam Inferno; mundum cor sem-
per tenere.
Mens, ut non sit conscia ullius excessus,
Ad mundandam animam promptus sit
regressus;
Si sentiret aliquo infectam reatu:
Contritionem omni requirat conatu.
De peccato doleat ob DEI Amorem,
Copiosum depluat lachrymarum ro-
rem;

 Pectus

Pectus tundat; omneque malum dete-
stetur
Abnegans, ut Dæmonem ipsum exe-
cretur.
Mox firmum ptopositum sit Confessionis,
Quam impleat: seipsum jure rationis
Culpet, condemnet: plenè totum fa-
teatur:
Quod Cor circumstans rodit & malè ce-
latur.
Omnem promittat ab hinc emendationem,
Ad hanc suam dirigat operationem:
Tollat Pœnitentiæ Satisfactione,
Quod pravæ voluntatis accidit agone.
Sit posthàc circumspectus, agat vigilanter,
Ne peccatum iteret, caveat constanter.
Nec redeat ut sus ad volutabrum luti,
Ut Vanis ad Comitum. Firmâ sciat uti
Spe in DEUM, propriæ non fidens virtuti;
Sed recursu ad eum consulens saluti:
Ac in CHRISTI meritis vires suas
fundet,
Invocatis precibus Divorum abundet:
Peccatorum veniam à DEO petendo,
Instinctûsq; gratiam sancti exposcendo;
Arduis propositis se stabiliendo:
Inten-

Intentione bonâ cor ſemper regendo.
Cùm in diem ſepties Iuſtus ipſe cadat,
Et reſurgens ſepties à lapſu evadat.
Contritionis actus in promptu habendus
Ut Clavis Cœlum pandens, nunquam negligendus.
Sedqui cupit animam puram conſervare,
Debet Conſcientiam ſic examinare,
Ut ſemper diſcutiat, num ſit in defectu,
Quotidie trutinet, an ſit in profectu.
Qualis ſit in Vitiis ſtatus extirpandis
Et pravis habitibus; Quis in radicandis
Succeſſus Virtutibus: ad perfectionem
Tendens Zelus amoris per promotionem.
Singillatim proderit tollere defectus,
In quo Spiritualis Ducis ſit delectus:
Inclinationem ad malum propulſando,
Et propenſionem ad bonum excitando.
Hic non ſolum cavendum peccatum mortale,
Sed arcendum etiam omne veniale:
Quin ab omni ſpecie malâ abſtinendũ,
Quæ ad DEUM tendere poſſit offendendum.

Nun-

Nunquam DEI mandatum ut transgrediatur,
Sed Voluntati ejus semper obsequatur;
In omni actione à DEO dependens:
Ad DEO contraria nunquam condescendens.
Ut peccatum caveat, hìc gravissimorum
Memoria utilis est novissimorum;
Mortem & Iudicium extremum pensando:
Cœlum atque Inferos sæpè trutinando.
A peccatis abstrahet funeris ligamen,
Et supremæ Themidis rigidum examen;
Tum quod Cœlum penetret nil coinquinatum:
Ac æternis ignibus plectatur peccatum.
Ergo Pœnitentia servit Puritati
Cordis, & à vitiis veræ libertati;
Quò Recta Intentio se totam impendit,
Dum suis operibus hunc finem prætendit,
Soli DEO unicè in cunctis placendi,
Hac Cordis Puritate ipsi serviendi;
Ad Divinæ Gloriæ collimans augmentum:
Ejusq; Voluntatis exactum momentũ.

Ex motivo amoris; ac in meritorum
Unione offerens JESU & Sanctorum,
Se in iis solidans; per Cor præsentando
JESU & Deiparæ: DEO se dicando.
Beatus erit ex hac cordis puritate,
Et ad DEUM intentæ mentis bonitate.
Cor mundum crea in me DEUS, & perfectum;
In meis visceribus da Spiritum rectum.

PRIMUS ACTUS
PRIMI GRADUS.
Actus Contritionis seu Clavis Cœli.

AH! peccavi Domino. Ah! Tibi peccavi,
Tibi soli Domine; Coram te patravi
Multa prorsus scelera: qui Tibi servire
Per amorem debui, semper obedire.
Peccavi DEo Maximo. Te DEUM offendi
Creatorem omnium: me pravā ostendi
Ingratam Creaturam, ob Creationem
Obligata existens, & Redemptionem.
Peccavi Patri Optimo. Te exacerbaui
Pater Sancte; coram Te peccans, declinavi
A Te: nec iam Filius dignus sum vocari,
Tui Boni prodigus, dignus condemnari.

Miſerere Domine mei peccatoris,
O DEUS miſerere prævaricatoris;
Filii deperditi Pater miſerere;
Sis mihi propitius, nec agas ſeverè.
En Tibi Confiteor omnia peccata
Queîs tranſgreſſus graviter ſum tua mandata;
Adverſum Legem tuam multum excedendo:
Pravos meos habitus nunquam compeſcendo.
Quin iniquitatibus ſic frena laxavi,
Quòd omnes potentias ad malum proſtravi:
Sic Tibi & proximo & mihi adverſus
Fui verbo, opere, ac mente perverſus.
Summum Bonum Unicum à Te exulavi
Ah! quantùm me pœnitet! Te exterminavi.
Ex toto Corde, vero contrito dolore
Atque humiliato cum ſummo mærore
Quàm intime doleo, quòd te Summè Bonum
Frequenter offenderim, ſemper mihi pronum.
Totus triſtor, Unicum ob Tui amorem
Dolens: per malitiam ſive per errorem
Me

Me Tuæ Volũtatis transgressum præcepta,
A Tuâ Bonitate avulsum acceptâ;
Nec non boni operis multum omisisse,
Et ad malum Proximum interdum traxisse:
Adeoque pessimâ vitâ minuisse
Laudem Tuam, animæ damna induxisse:
Partem vitæ maximam Culpæ impendisse:
Rigidam justissimè pœnam meruisse.
Et exinde factum me cæli exhæredem,
Æternorum ignium inferni hæredem;
Factum me, quin etiam Tuum inimicum,
Gravi jugo criminum Sathanæ amicum.
Pudet me tot scelerum coram orbe toto,
Detestor, abominor, odi omni voto;
Ab illis jam fugio ut animæ peste
Illa ut Diabolum execror funestè.
Libera me Domine ab ipsis, mi DEUS
Illa dele Gratiâ, Tuus petit reus,
O Pater annihila, maculas absterge;
Et lava me amplius; perdens cuncta merge.
Ecquis nam intelligit modum delictorum?
Munda me à specie pravâ occultorum,
Velo

Velo ignorantiæ; & ab alienis
Parce ſervo minimo, quibusvis obſcæ-
nis.
Pectus meum quatio, lachrymis inundor;
DEUM meum deprecor donec plenè
mundor.
Cum Publicano dico: Mihi gratioſus
Sis atque propitius, licet ſim probroſus.
DEUS, Pater, Domine, cui miſereri
Proprium & parcere fac me nunc fo-
veri
Tuæ benignitatis â proprietate,
Nec furoris abripi juſti gravitate.
Correctionem meam promitto ſincerè,
Cujus exercitium ſervabo auſterè;
Statuo propoſitum firmum non pec-
care;
Me in Tuâ Gratia ſemper renovare:
Quam imploro; ſine quâ non meâ virtute
Culpas vitare queo; ſed cum ipſâ tutè.
Pater qui in Cœlis es, Filium indignum
Recipe in gratiam; Clementiæ ſignum
Monſtra ad Te reduci, errantem me reduc
A morte culpæ, & ad vitam deduc.
Volo ſatisfacere pro meis delictis,
Diebus deperditis, & damnis inflictis;
Fru-

Fructus pœnitentiæ dignos exercere:
Me in Sinu Gratiæ Tuæ continere.
Sed cùm mea opera pannus menſtruatæ
Sint, ex ſe haud placita, ſupplex peto
à Te,
Ut illa recipias meritis unita
Chriſti; Matris, Sanctorum Actibus
condita;
Satisfactionibus dolentium cuncta,
Atque pœnitentium lachrymis conjun-
cta
Coram Te compareat meus Mediator,
JESUS Tuus Filius dilectus, Precator
Cum ſuis vulneribus; in Cruce confixus
Pro meis ſceleribus: & Clavis innixus.
Reſpice in faciem quæſo Tui Chriſti,
Vide deprecantem Te Patrem vultu
triſti,
Innocentis vulnera, profuſum Cruorem
Agni ſine macula: exaudi clamorem.
Per amaritudinem ejus Paſſionis,
Copioſæ ſanguine vim Redemptionis;
Mortis acerbitatem: precor peccatoris
Miſerere peſſimi, ſummi debitoris.
Sint jam exnunc penitus extincta peccata
Mea, & radicitus correcta errata,
Puris-

Puriſſimæ Virginis ob orationem,
Divorum quos invoco interceſſionem.
Quantumvis ſim oculos in Cœlum levare
Indignus, nec Cernere Tuum ſalutare;
Imò reum fateor me damnationis
Æternæ, judicio Tuæ ſanctionis,
Sanctæque Juſtitiæ ſupremo Decreto:
Dignum pænis omnibus ac perenni leto.
Spero nihilominus Tuâ infinitâ
In miſericordiâ cunctis expeditâ.
Ergo jam me Domine à Culpis abſolve,
O mi Pater, mi DEUS à pœnis revolve;
Plenariam conſequi Tui Iubilei
Me fac Indulgentiam, plenam veræ ſpèi.

SECUNDUS ACTUS PRIMI GRADUS.

Pura ad DEUM ſolum Intentio.

QUidquid ago, cogito, vel loquor, mi DEUS
Ad Te totum dirigo. Hic affectus meus
Eſt ad Tuæ Gloriæ & Laudis augmentum,
Ad Tuæ Voluntatis purum Complementum.

Dor-

Dormio vel comedo, bibo vel incedo,
Sedeo vel jaceo: quocunque procedo.
Sit motus, reſpirium, pulſus, tactus, ſenſus
Et halitus: omnibus in his eſt conſenſus
Domine, ut exequar Tuam voluntatem,
Nec unquam in his meam quæram libertatem.
Feciſti me ſiquidem talem Creaturam,
Quæ cunctis his indiget ad ſuam naturam.
Tantò magis alias operationes,
Cunctas elêemoſynas, meditationes,
Mortificationes, obſecrationes,
Cruces & jejunia ad intentiones
Has quam perfectisſimè ex Tui amore,
Ut Tua ſit voluntas, pro Tuo honore,
Per totam Vitam meam & æternitatem
Facere deſidero; omnem facultatem
Meam Tibi dedicans: omni motu, nutu,
Corporis & animæ, nictu & obtutu
Oculorum cupio; ut magnificeris,
Benedicaris, laude cunctâ exalteris.
Et Tibi ſint gratiæ omni actione
Virtutum quarumcunque, cum confesſione,

Quod

Quod ſis Sanctus, Sapiens, DEUS Vi-
vus, verus,
Æternus, Omnipotens, Juſtus, ac Severus:
Immenſus, Miſericors, Bonus, Rectus, Di-
gnus,
Perfectus, Omniſcius, Clemens, & Beni-
gnus.
Ex affectu agere Univerſitatis
Volo ſemper, ubique Zelo charitatis
Deſiderans plenè, ut quævis Creatura
Tali gratitudine Tibi ſolvat jura.
Ut ſinguli Atomi in Corda vertantur
Seraphim, & amoris penſum exequan-
tur.
Hæc omnia offero in Communione
Sanctarum Actionum; & perfectione
Meritorum Chriſti, & Matris, ac Divo-
rum:
Præſentans per omnium Corda Beato-
rum.

SECUNDUS GRADUS.

Humilitas.

IN Abyſſum profundam nihileitatis
Exinaniendo Te vi humilitatis,
Totus coram Divinâ rue Majeſtate:
Tuum Nihil agnoſce coram orbe latè.

Nîl

Nîl in origine, ex nihilo creatus,
Nil in profectu, nullo decore ornatus;
Nil in viribus, absque DEO nihil valens:
Nil in fine, cum perdat Te mors cæde
calens.
Cogita quid fueris? Sperma purulentum,
Quid jam ſis? Vas ſtercorum certè fœ-
tulentum;
Quid eris? nonne eſca Vermium enecta?
En reſpectu Corporis res es quàm ab-
jecta!
Sed reſpectu animæ cœcum intellectum
Habes, & judicium obliquum non re-
ctum;
Memoriam labilem, bono haud dicatam:
Voluntatem ad omne malum effera-
tam.
Quicquid eſt in te Boni, totum Bonitatis
Eſt Divinæ, quod mali, tuæ Voluntatis
Pravæ: ſic ex te nihil es in tuo ſtatu;
Ipſum malum fomitis culpæ es reatu.
Hinc debes agnoſcere te pulverem vilem
Eſſe, & peripſema, & vermem exilem;
Et ſummum Peccatorem; miſerum
mendicum:
Et prævaricatorem, DEO inimicum.

Quin te crede pulvere ipſo viliorem,
Et damnatis omnibus dic indigniorem:
Nam is DEI nutui non contrariatur
Ut Tu; cui gratia tanta miniſtratur.
Ipſeque perfectiùs viveret damnatus
Cùm hâc gratiâ, quâ tu es ſemper donatus
A DEI Bonitate: Hanc audes calcare;
Dum factis Tuis non vis huic obtemperare.
Ergo ſic præ oculis Deum ſemper geſtans
Præſentem, ac in corde te ſubjectum præſtans;
Timeas vel minimâ re hunc offenſare;
Illiusque Paternum Cor exacerbare.
In nihilum redigit te una mortalis
Culpa, cujus merces eſt ignis infernalis.
Admirare ſupra te DEI bonitatem,
Quòd te ſuffert, quòd tuam non aufert ætatem.
Tuam dependentiam perpende à DEO,
Hinc correſpondentiam conſerva cum eo:
In ipſo vivis, agis, es, atque moveris;
Absque illo nihil es, nullo potieris.

Sic

Sic ipſi obediens ſis omni reſpectu,
Toto ad nutum ejus ſerviens affectu.
Sis in ejus manibus promptum Inſtrumentum
Non contumax: currens ad illius intentum.
Ut figmentum figuli manibus rotatur,
Ejus absque ſtrepitu placito paratur:
Ex tuo luto DEUS faciat vas tale
Absque murmure, quale vult eſſe formale,
Tu te Deo ſubjice; Totus rationi
Illius ſis Subditus, ac directioni.
Ipſe quod vult faciat, tu te illi dabis
Licet quidquam aſperi immittet portabis.
Hæc omnia faciens, tamen te proſtratum
Dic ſervum inutilem, nec in ullo gratum
Tibi omnes alios antepone: imò
Æſtima te ſordido viliorem fimo.
Ad quæcunque vilia libenter feſtina,
Quod detrectant alii, ſit tua rapina,
Abjectis ſervitiis ſemper inſiſtendo,
Cùm ipſis quisquiliis parem te ponendo.

Ita te aſpernare, teque deteſtare,
Ex corde vero ſemper ſic humiliare,
Sis reipſa humilis, non ut videaris;
Nec ad elationem unquam movearis.
Nec ullas deſideres altas dignitates,
Verùm ſtatûs humilis tene vilitates;
Fer patienter quidquid venerit adverſi
Velle tuo: ſeu quidquid fecerint perverſi.
His te dignum judica, & hiſce majora
Tibi deberi, fata colens altiora.
Quidquid boni, adſcribe DEI Bonitati,
Quidquid mali, hoc tuæ da perverſitati.
Æternum mancipium velis eſſe DEI,
Pulvis, ſuppedaneum ſemper ſupplex ei;
Cum eris humillimus ſic in tuo ſenſu:
Dei dono fruêris ad ſumma conſcenſu.

ACTUS
Humiliationis ſui.

MInima ego Tua Creatura
Deus, ac Tuæ Dexteræ factura,
Quod ſum & poſſum, ex Te manat totum,
Ex me nihil ſum, nullum ago motum.

Ad tuas totum me jacio plantas,
Indignitates meas videns tantas:
In pulvere os meum ſupplex prono,
Dolore culpæ corde jacens pono.
Quod nihilum ſim ante Te agnoſco,
Omnia in me Tua recognoſco,
Mera ſum cauſa ſolius peccati,
Ex voluntate perverſâ patrati.
Pulvere ipſo me abjectiorem
Æſtimo verè, atque viliorem;
Nam hic Tibi in omnibus obedit,
Contraria ſed mea culpa edit.
In malitiâ omnes peccatores
Supero, quosvis Tui offenſores,
Poſſidens â Te gratias majores,
Nec ritè meos his conformans mores.
Etiam ipſis pejor ſum damnatis,
Quibus ſi dares mea dona gratis,
Perfectiùs me hi Tibi ſervirent:
In cunctis rectè tibi obedirent.
Sic mei ſtatûs in exilitate
Totus tremo ex meâ pravitate:
A Judiciis quàm Tuis formido?
Quod perdiderit me totum libido.
Semper horrenda mihi Tuba ſonat,
Ad judicium, (in auribus tonat)

Ad judicium ſurgite, daturi
Nunc rationem; Fatum audituri
Judicis. Ubi peccator parebit,
Cum ipſe Juſtus nimiùm pavebit?
Timeo jamjam contra Te peccare,
Mi DEUS iram Tuam irritare.
Cupio Tibi ſoli ſubjacere,
Omne peccati malum præcavere:
Te meum Summum cognoſco Authorem,
Te volo ſemper habere Rectorem.
Fac mecum quod vis, ſum Tibi ſubjectum
Manibus Tuis inſtrumentum rectum.
Dirige, trahe, duc, ut vis inſtanter:
Nutui Tuo parebo conſtanter.
Quò projicis me, illuc lubens cado,
Quò meam vertis vilitatem, vado;
Ex meâ nihil volo voluntate
Agere, ſed ex Tui poteſtate
Beneplaciti. Hoc ut circumſcribet
Me ad fortunam, ad caſum, ut libet;
Ad indigna vel digna me utendi:
Semper paratum cor eſt Te ſequendi.
Indigna meam ad conditionem
Appropriata, propter actionem
Culpæ, amplectar lubens: viliora
Semper requirens & probroſiora.

Hinc

Hinc ſperno mundum; meipſum contemno,
Ut deſpectum & abjectum condemno.
Odi me totum, fugio, deteſtor,
Execror; horrens, pravum me conteſtor,
Volo eſſe ab omnibus contemptus
Nihili ductus, ut canis peremptus,
Ut quisquiliæ, mundi anathema;
Omnium rerum verum peripſema.
Ad nihil ſanè valeo; projectum
Ut abortivum, ad orcum dejectum:
Atré aduſti inſtar titionis,
Perdito dignus ſtatu Epulonis.
Mereor omnes pœnarum rigores,
Afflictiones, mœrores, dolores;
Juſtas à cunctis perſecutiones:
Deſertiones, tribulationes.
Ergo de jure puni me mi DEUS,
Ut vis, emenda, ut meretur reus,
Hic grava, preme, humilia, tere,
Conculca, reduc ad nihilum merè.
Malitia nam ſum eſſentialis,
Proclivitas ad ſcelera fatalis:
Contagio ſum hominum mortalis,
Macula mundi, culpæ fons realis.

Si quidquam in me elucescit boni,
Tui effulget hoc gratiâ doni.
Hæc agit cuncta, gratis operatur:
Hac solâ meum meritum fundatur.
Sed quamvis Tibi sincerè servirem,
Tua fidelis munia obirem;
Me tamen servum inutilem nosco;
Gratiæ Tuæ auxilium posco.
Cupio pedum Tuorum scabellum
Esse, jumentum natum ad flagellum;
Pulvis & Cinis, miserrimus vermis:
Gratiæ tuæ mendicus inermis.
Sim ergo, quàm sum, in Tuo conspectu
Vilior, omni damnandus despectu,
Coram Te meas fac indignitates
Cernam, & veras nihileitates.

TERTIUS GRADUS.

Abnegatio Sui ipsius.

IN Baptismo Sathanæ abrenunciâsti,
Ac Deum in Dominum tibi vendicasti,
Satan ad te non potest habere accessum,
Sed per mundum & carnem arripit successum;
Decipiens & trahens te ad jugum suum:
Te sibi subjiciens per consensum tuum.

Ac

Ac ideò integrè totum abnegare
Debes mundum, teipſum carne ſpoliare.
Ecquid ſunt opes? Umbra veritate carens,
Quid honores? Nebula breviter apparens;
Ecquid ſunt voluptates? ſomnus parum durans:
Hæc cuncta tollit mortis momentum maturans.
Ut momentis ſingulis tranſit temporalis
Vita, & Subſtantia talis eſt mortalis.
Tempus præcurrens non eſt; advenit futurum;
In præſenti momentum volat periturum.
Sic in ictu Oculi præterit figura
Mundi, bono hominis nunquam profutura.
Hocce mundo utendum tanquam non utendo,
Voluntatem ad illum ſuam haud ſtringendo.
Corde toto quin imò eſt abominandus,
Et reſolutione firmâ abnegandus.
Omnem ob Creatorẽ ſperne Creaturam;
Ut ab illâ abſtrahas te fac ſummam curam.

Quan-

Quantò magis ab ipsâ eris elongatus
Tantò tu viciniùs accedes ad latus
DEI: si habueris cunctis denudatum
Cor, Divinâ specie tantùm impraegnatum.
Quin spiritualiter esse Crucifixus
Debes mundo, & mundus sic tibi affixus,
Ut ipsi moriaris; dispereat Tibi
Ille: sed DEUS tuam sumat vitam sibi.
Ad cœlum totam mentem atque voluntatem
Fer, duc, urge beatam ad æternitatem.
Ergo te ab immundo mundo avertendo,
Teque ad solum DEUM totum convertendo;
A teipso exire debes, abnegare
Temetipsum, ut summum malum proculcare.
Perversas exuere omnes passiones,
Et pravas extirpare inclinationes.
Cumque irascibilis vis maximè detur,
Et concupiscibilis in te dominetur;
Erunt hæ ratione fortiter frenandæ:
Et semper persequendæ, ac mortificandæ.

Con-

Concupiſcentia eſt ex fomite ignis,
Ira focus ex quavis ſcintillâ inſignis:
Hos ignes extinguere debes ne adurant;
Opprimere, antequam animam comburant.
Deinde tuos ſenſus teneris domare;
Continuo carcere ſic mortificare,
Ne unquam exorbitent; ne adoriatur
Illos mors; per feneſtras has ingrediatur.
Perenne cum oculis tuis fœdus pangas:
Sint clauſi, nec præferant malorum phalangas.
Aures ſint obturatæ, ſpinis ſepiantur,
Ad ſuſurrum perverſum ſurdæ occludantur.
Guſtus quæ interdicta non transgrediatur,
Sed felle Paſſionis Chriſti aſpergatur.
Nec excedat limites ſuos odoratus:
Nec tactus illicito ſit contaminatus.
Manus pedesque Chriſti ſint affixæ Cruci
Fixè: abſtractioni non ſuccumbant truci.
Lingua in ergaſtulo clauſa ſe conſervet;
Ad ſolam Dei laudem ſe totam enervet.
Sic cœcus, ſurdus, mutus maximâ virtute,
Absq; cunctis ſenſibus pro tuâ ſalute

Eſſe debes: ſunt enim ad malum proclives,
A bono alieni hi corporis cives.
Hinc teipſum abnegans, Chriſtum inſequendo
Crucem tuam geſtabis; ipſi adhærendo;
Et antiquum hominem natum ex peccato
Semper mortificabis: animo parato
Novum virum indues ſimul & perfectum
Imitando exactè; ibis ad conceptum
Finem tuæ ſalutis; Tibi moriendo.
Cum Deo eris, ipſi æternum vivendo.

Actus Abnegationis Sui ipſius.

Procul hinc procul ò munde immunde,
Fons mali, omni ſcelere fæcunde.
Nil in te ſanæ reperitur mentis,
Fraudibus plenus, plenus detrimentis.
Tua quàm citò præterit figura!
Quàm parvo ictu corruit ſtatura!
Obſcænum perit cœnum voluptatum,
Et evaneſcunt nubes dignitatum.
Ut aquæ bulla vacua ſpectatur,
Quando per ventum levem diſſipatur:
Ut fulguris Lux brevis coruſcantis;
Decoris Tui ſic flos inconſtantis.

Ecquid

Ecquid eſt curſus vitæ meæ brevis
In quo ſe fundat labor mundi levis?
Rotatio eſt unius momenti;
Æterni fluxus præceps detrimenti.
Non eſt in quo me valeam fundare
Nec in currentis torrente firmare;
Gaudia mundi captans perituri,
Illecebrasque corporis caſuri.
Hinc quæro mundo abrenunciare,
Hunc, qui ſalutis clades, abnegare.
Omnem ejuro ſponte Creaturam
Solius peto Creatoris curam.
Nolo tenere ullam vanitatem,
Cum Creaturâ contiguitatem:
Sed ſolum DEUM in corde habere
Volo, ipſique ſemper adhærere.
Pereant omnes jmaginum ſtrues
Ex Creaturis, animarum lues:
Dei ſolius imaginem ſervo,
Firmam in mente ſimili obſervo.
Unde non minus abnego me verè,
Meipſum perdens ejuro ſincerè,
Nil in me ex me volo retinere,
Sed totum ex Te cupio habere.
Sum Tuum membrum mi JESU Servator.
Licet indignum, & magnus peccator;

Gau-

Gaudeam ſinu Tuo : Ex Te vitam
  Hauriam meam ſemper in Te ſitam.
Et quia ſemper Tu Crucem tuliſti,
  Cruce ſalutem meam quæſiviſti;
  Crucem amplector, deoſculor Crucem:
  Tecum geſtare volo licet trucem.
Sim ego mundo totus Crucifixus,
  Et mihi mundus : ſim Tibi affixus,
  (Hoc concupiſco) ſim mortificatus
  In Te ſepultus, ſim mundo ablatus.
Quam Sancta mors eſt, mori cunctis rebus,
  In Te concludi omnibus diebus;
  Abſcondi, mergi, perire, ſervari;
  Ad Tuam Vitam morte deſtinari.
Utinam mihi moriar hac ſorte!
  In Te manendo vivam ſanctâ morte:
  Mortificando meas Paſſiones,
  Concupiſcentes Inclinationes.
Senſus ad malum proclives & aptos
  In freno premo vi rigoris captos.
  Oculos, aures, guſtum & olfactum,
  Stringo cancellis linguam atq; tactum.
Tibi mi DEUS tantum inſeruire
  Debent, pro Tuo honore prodire;
  Ad nullam prorſus Creaturam ire
  Affectu pravo : nulli conſentire.

Nec suâ ferri debent libertate,
Sed Tuâ rectè duci Voluntate;
Exuens ita hominem vetustum,
In novum volo mutari augustum

Secundùm Tui Regulam mandati
Juxta exemplar status à Te dati:
Semper exactè mihi moriendo,
Et Tibi soli constanter vivendo.

Memoriâ Te conservans recenti,
Infixum tenens intellectûs menti;
Ac Voluntatem propriam perdendo:
Tuam ex Corde semper exequendo.

QUARTUS ET SUPREMUS GRADUS.

Amor Dei super omnia propter semetipsum, & Proximi sicut sui ipsius propter Deum.

ECquid usquam gratiùs? quàm DEUM amare,
Summum Bonum: in ipso sic perseverare.
Ubi totum residet, quod desiderare
Potest homo: quod ipsum potest satiare.

Omnis

Omnis Boni optatus imber inde pluit,
Unde Puri Amoris fons perennis fluit.
Immensas gaudiorum inundationes
Fundit, & infinitas consolationes.
Ecquis nam Deum suum non vellet amare?
Qui sibi gratiosum sic agnoscit claré,
Ut grata Creatura ama Creatorem;
Magno empt⁹ pretio amaRedemptorem.
Hic planè continuus est in benefactis
ErgaTe,præbens dona mellis atq; lactis.
Quin ab æterno licet indignum amavit
Te, ac ingratum Suâ Gratiâ beavit.
Eccur non reciprocè hunc amare debes?
In Te præstando gratum nunquam esse
hebes?
Solum Tibi amorem imperavit suum:
Pro hoc, quis edisseret? quod præmium
Tuum?
Nec humanus oculus unquam vidit tale,
Nec hoc auris aüdivit ita speciale;
Sed nec in Cor hominis simile manavit:
Quod se diligentibus Deus præparavit.
Seipsum in Gloriâ æternâ donabit:
Ubi Amor ipsius nequaquam cessabit.
Ibi eris cum Fonte Amoris Unitus,
Bono Felicitatis omnis insignitus.

Jam

Jam amare incipe Deum pleno voto,
Et ex tota anima, & ex corde toto,
Et ex cunctis viribus; & ex tota mente:
Super omnia, sine modo, quam intentè.
Procul amor proprius, procul creaturæ
Omnis amor, nam solus vult diligi purè;
Præ omnibus in orbe sit appretiatus:
Ac propter semetipsum unicè amatus.
Cùm Summæ Bonitatis sit ipsa natura;
Summæ Jucunditatis immensa mensura;
Summæ Pulchritudinis, Decus inauditum:
Summæ sapientiæ, Lumen infinitum.
De illo increato exulta Amore;
Gaude de intermino ipsius honore;
Lætare quòd in cœlo sint hocce nutriti
Amore omnes Sancti; suique obliti.
Dole paucos in terrâ Dei Amatores
Esse, ac desidera hosce neglectores
Ad Deum diligendum omnes provocare;
Ad intensum Amorem corda excitare.
Omnis Tua fiducia in Dei Amore
Posita suspirii sit magni ardore;
Tuum desiderium ibi commoretur:
Et tuum refugium illuc destinetur.

Confitere Te reum Divini Amoris
  Esse, ac mancipium ejusdem decoris.
  Tuâ cogitatio in ipso fundetur,
  Amati præsentia ut Tibi præstetur.
Cum ipso continuam fac locutionem,
  In ejus deliciis conversationem;
  Intentionem cures Deo consecrare:
  Velle tuum Divino velle conformare.
Quin si scires etiam te fore damnandum,
  Rigore justitiæ, ac Deo privandum;
  Deum nihilominus deberes gratanter
  Amare cordicitùs ac perseveranter.
Ex seipso utpote dignum qui ametur,
  Et cûi omnis gratia regratificetur
  Per Amorem unicum; non tuum quærendo
  Gustum, sed ejus velle satisfaciendo.
Nullum debes habere respectum privatum
  Ad mercedem æternam, vel aliquid gratum
  In hac dilectione Dei: sed Amoris
  Finis sit ipse Amor, ac merces fervoris.
Deum amans anima vadit resolutè,
  Et patrat facinora Heroica tutè;
  Ejus beneplacitum exequi parata,
  Et tolerare omnia etiam ingrata.

Est

Eſt ergo Amor Dei fidelis, jucundus,
Gratus, fortis, hilaris, dulcis, ſpe ſecundus.
Vigil, officioſus, caſtus, liberalis,
Tranquillus, obediens, conſtans, cordialis.
Propter Deum proximum amare teneris,
Cum ſit imago Dei, ut teipſum reris:
Sed in Deo debet hic Amor ſe fundare,
Ad Deum in omnibus ſe repræſentare.
In Miſericordiæ opera patranda,
Ad mentis & corporis damna profliganda,
Promptus erga proximum pro neceſſitate
Debes eſſe, ex verâ liberalitate.
Obſtrictus diligere quoque inimicos,
Illis benefacere, ferre ut amicos,
Pro te perſequentibus etiam orare,
Ut Dei Filiorum loco poſſis ſtare:
Bonitatis ſpecimen Divinæ ſequendo;
Qui Cœleſtem pluviam, nunquam deſiſtendo
Super bonos & malos dat diſtribuendo:
Solem oriri facit lumen largiendo.

PRIMUS ACTUS QUARTI GRADUS.

Actus Amoris Dei super omnia.

O Summum Bonum, Amor Increate!
Quis non amoris vi trahatur à Te?
Tu omnis fons es purissimus boni,
Medium, finis, es æterni doni.

Ita mi DEUS memet adamâsti,
Quòd mihi totum Te dono donâsti.
Quam mutuò Te teneor amare,
Me Tibi totum vicissim donare?

Ex nihilo me hominem creâsti:
Animâ Tibi similem formâsti.
Meam cum Tuâ naturam junxisti,
Te demittens me sursum evexisti.

O quantus labor in me requirendo!
Quam carum lytrum pro me redimendo!
Quidquid habebas totum impendisti,
Et sanguinem & vitam profudisti:

Sic perditum me per Te reparâsti,
Et vitâ functum revivificasti;
In cibum meum Temet transmutando,
Gratiam mihi gloriamvè dando.

Hæc

Hæc omnia Tu ex mei Amore
Quid ego juſtè pro Tui honore?
Teneor Tibi mi Deus ſervire;
Amore grato me Tibi vincire.

Diligere Te ex corde præciſo
A creatura, Tecum haud diviſo.
Nam cordis uti vis poſſeſſione,
Absque vicino & diſtractione.

Monarcha Orbis Tu, & Charitatis
Unicum Bonum nexu unitatis:
Tui ſolius Amor mihi curæ
Sit, cunctis pulſis, opus eſt maturè.

Aliud nihil mihi præcepiſti,
Solum amorem Tui injunxiſti:
Si hunc non curo, contra me profaris,
Damnationem æternam minaris.

Quam gratioſum eſt hocce mandatum!
Quàm bonum minæ præſtant mihi ſtatum!
Ecquisnam nollet mandatum ſervare?
Amoris Tui dulcorem guſtare?

Te ô mi Deus! Amo ſuper cuncta,
Propter Te mihi omnia defuncta;
Perdo meipſum ob Tui amorem,
Exterminando omnem mundi florem.

Amo Te Deus ex anima tota,
Ex toto Corde & mente devotâ;
Et ex viribus cunctis incessanter:
Integri cordis vota dans constanter.
Amo Te non ex alio affectu,
Præterquam Tui solius respectu:
Dignus es enim omni charitate,
Ex Bonitatis Tuæ largitate.
Amo non meam ob utilitatem,
Sed solam gustûs Tui suavitatem;
Propter mandati Tui rationem,
Et voluntatis executionem.
Non me privati attrahunt respectus
Præmii sive mercedis affectus
In Te amando: Unum finem spectans
Amoris, ipsum amorem affectans.
Seipso amor semper compensatur,
Continens in se cuncta; non frustratur
Dum sese perdit: in se pereundo
In Summo Bono subsistit abundo.
Quin licet scirem Tui sanctionem
Fati, per Tuam revelationem
Quod in æternum me velles damnare
A Te amando non vellem cessare.
Sed in intento hoc perseverarem
Amoris Tui, semper sic durarem;

Hoc unum pensans, quòd Tu eo dignus,
Ut gratæ mentis Tibi solvam pignus.
Fidelis essem in dilectione,
In Tua sperans miseratione;
Decreta Tua pronus adorarem;
Et meum velle Tuo conformarem.
Unicè solo hocce contentarer
Quod hîc amore Tuo delectarer;
Desiderans & in damnatione
Tui amoris frui unione.
Si possem, omnes vivos inflammarem
Igne amoris Tui; separarem
Ab illis rerum vanarum affectus;
Creaturarum firmarem despectus.
Ut charitatis succensus ardore
Sic æstuaret Orbis in fervore;
Quòd ipsa corda Seraphim referrent
Atomi omnes: Amorem deferrent.
Ex Zelo hujus Tuæ Charitatis
Tuis subesse cupio mandatis,
Illa servando, ac re exequendo:
Et velle Tuo semper obsequendo.
Quin resolutè volo me præstare,
Impedimenta quævis debellare;
Difficultates cunctas superare:
Quæ possent mihi obicem formare.

Tui amore ſum adverſitates
  Ferre paratus, & infirmitates;
  Cruces, dolores, perſecutiones:
  Sanguinis imò & profuſiones.
Paratus omnes pœnas tolerare,
  Vitam in manu Tuâ collocare:
  Fac quod vis Tuâ diſpoſitione
  Sufferam lubens ex ſubmiſſione.
A Charitate nil me ſeparabit,
  Nec Creatura ulla me arctabit;
  Nec mortis caſus abducet ruentem:
  Nec horror Orci abſtrahet paventem.
Sic in Amore Tuus eſſe volo
  Semper: æternùm meus eſſe nolo
  Sed velle meum ut annihiletur;
  Et Velle Tuum ſolum dominetur.
Jam ergo Tecum me liga, conjunge,
  Uni amore; nec unquam ſejunge:
  Ut ſemper durem in hac unione,
  Et ſolâ vivam in dilectione.
Vivam ego, non ego, ſed Tu vives,
  Me poſſidendo integrè. Ut nives
  Solvuntur aquis, ſic me transformabis:
  Ut gutta mari ſorbetur, ſervabis.
Omnis ſpes mea in dilectione,
  Mens tota ejus in agnitione;

Suſpirium ad conſecutionem:
Deſiderium ad poſſeſſionem.
Ah! quando ante Tuam apparebo
Faciem? fontem amoris videbo?
Ah! quando cernam lumen Tui vultus?
Unum hoc peto, ſim in hoc occultus.
Fac Summum Bonum Tuæ Creaturæ
Gratiam, ut Te poſſim ita purè
Amare ſemper, internè, externè;
Amem Te ſolum mi DEUS æterne:
Sicut in Cœlis diligunt Beati,
Et ut in terris Juſti ex Te nati.
Si licet, Tuâ Te dilectione
Amare volo in perfectione.

SECUNDUS ACTUS QUARTI GRADUS

Actus Amoris Proximi propter Deum.

JUsſiſti DEUS Proximum amare
Sicut teipſum, ſemper æſtimare.
Quàm lubens iſtud accepto Mandatũ!
Exequi illud cor gero paratum.
In ipſo Tuæ imaginis formam.
Cerno, & ſummæ bonitatis normam.
Ita ut ego eſt per Te ſervatus
Sanguinis lytro, ac ſanctificatus.

Gratiæ Tuæ hic communionis
Capax; gloriæ ibi unionis.
Exinde dignus eſt omni amore:
Ergo hunc amo ex cordis candore.
Exopto ipſi, ut omni fruatur
Bono, decore cuncto potiatur.
Facere benè in omnibus volo
Illi, in ullo offendere nolo.
In omni caſu ipſum adjuvare
Cupio, omnem operam præſtare.
Servire quoque peſſimè affectis,
Quamvis vel leprâ vel peſte infectis,
Facere cuncta ob Tui Amorem,
Referrem licèt ingratum rancorem:
Gratiam nullam, ſed contentiones,
Convitiorum maledictiones.
Nam Tu propter me, atq; propter illum
Tuliſti onus Crucis non puſillum,
Indutus carne cum infirmitate
Noſtra, dolore, ac neceſſitate.
Et edixiſti; quod qui bene facit
Minimis iſtis, non in vanum jacit
Opera ſua; ſed quaſi ſerviret
Tibi: hinc ejus meritum prodiret.
Imò qui ope vel eſurienti,
Hoſpiti, nudo, ſive ſitienti,

Infirmo, vincto, mortuo adesset,
  Hic sibi Cœli præmio prodesset.
Quamvis se mihi faceret adversum
  Odio, irâ, livore perversum;
  Ab ipso ferrem persecutiones,
  Contumelias, execrationes.
Attamen illum intimè amarem,
  Ut Fratrem meum ritè honorarem;
  Orationes pro illo tenerem,
  Et cuncta ipsi bona exhiberem.
In hoc sequendo Tuam Bonitatem,
  Qui gratiarum præstas ubertatem
  Bonis & malis, uti Pater verus,
  In omnes semper Largus & Sincerus.
Filii Tui namque Dignitatem
  Assequi volo, per hanc Charitatem,
  Qui vitam suam posuit per mortem
  Pro inimicis; eligens hanc sortem.
Cùm ergo Te tam Bonum habeamus
  Patrem, & semper talem agnoscamus;
  Ut ex amore Natum Tuum dares
  Nobis adversis: & morti sacrares.
Hic Frater noster per Humanitatem
  Factus, & suam dat Divinitatem;
  Ut Tui simus Filii hæredes,
  Ejusque Fratres, ipsi cohæredes.

Ho-

Homines inde ſumus Fratres cuncti;
Vivere junctim debemus hac uncti
Gratiâ; cujus & ego reſpectu
Omnes ut Fratres amo ex affectu.

CONCLUSIO
Partis Primæ.

EN quam brevis Semita, & quàm Via recta,
His quaternis gradibus, ad Deum erecta
Conſequendum facile; ſemper poſſidendum:
Nunc & in perpetuum cum ipſo manendum.
Sic ſic Cordis Puritas ac intentionis,
Humilitas, vis ſui abnegationis;
Per Amoris Dei & Proximi virtutem,
Vitæ Spiritualis coronant ſalutem
Cor purum in me Deus ac intentum Tibi
Crea, humiliatum, abnegatum ſibi
Sit; Tuo & Proximi æſtuans Amore:
Sic Tuo dignum erit aſpectûs honore,

PARS II
De Vitâ Devotâ.

NOn impediaris orare ſemper, & ne verearis uſque ad mortem juſtificari, quoniam merces DEI manet in æternum. Eccl. 18. 22.

Oportet ſemper orare & nunquam deficere Luc. 18. 1.

Orationi inſtate vigilantes. Coloſ. 2.2.

RECOMMENDATIO
Variæ Devotionis Particularis Utilis & Neceſſariæ.

JUſtum & Dignū ſemper in mente habere,
Et magis notabiles honores præbere
Unitæ Perſonarum Trium Deitati
Patris, Filî, Spiritûs Sancti Trinitati.
Nec minus memoria Chriſti Paſſionis
Mortis ejus in Cruce ſupremi Agonis
Multùm neceſſaria; utpotè origo
Meritorum omnium; Dæmonis caligo.

De-

Deinde continua Præſentia JESU
Sub ſpeciebus panis, Sacramenti eſu
Quando noſtri tædii animat torporem;
Ad honoris excitat reddendi fervorem.
Virgo & Mater DEI meretur reſpectum
Singularem, teneri amoris affectum.
Honor Immaculatæ ſit Conceptioni,
InCœlum cum corpore & Aſſumptioni.
His devotionibus inſtandum feruenter,
Potisſimùm vario honore frequenter
Proſequendo; animi affectum monſtrando
Cordialem: & ſigna amoris præſtando
Quovis die, qualibet ſeptimanâ gratus,
Quovis menſe & quavis horâ ſis parat',
Actus præcipuarum virtutum offerre;
Preces, eleêmoſynas, jejunia ferre.
Omnes Feſtivitates ſemper celebrare,
Loca, & imagines cultu viſitare;
Perſonas memoriâ recenti ſervando,
Et ad illas devoto corde ſuſpirando.
Ac quidem ſigillatim Trinæ Majeſtati
DEI nos commendemus, Summæ Bonitati:
Laus, honor, & amor cum benedictione
Erga illam noſtrâ ſit in devotione.

Deitatis numerum Ternum ſic colamus,
Ut hunc in operibus noſtris referamus;
Memoria, ratio, voluntas feratur
In Deum, ut imago ejus exprimatur.
Semper ante oculos Jesus Crucifixus
Cum ſuis vulneribus & cordi ſit fixus:
Qui eſt clarum ſpeculum omnium virtutum,
Opis & ſolatii refugium tutum.
In hoc ſatisfactio plena pro peccatis,
Medicina animæ in malis enatis,
A quovis inimico ſecurum munimen;
In cunctis periculis promptum ſemper limen.
In Miſsa quotidie & Feriâ ſextâ
Et in Quadrageſimâ ſit nobis intexta
Auctior memoria: in petræ caverna
Dolore & amore ſit quies interna.
Deinde Sanctisſimo Sacramento demus
Laudem, Honorem: velut Deum adoremus;
Viſitando ſæpius atque ſalutando,
Et animo ſupplici nos humiliando;
Fide, Spe, Charitate, illud venerantes,
Ad ſumptionem ejus ſæpè feſtinantes;

Et,

Et ad infirmos ſemper ipſum deducentes:
Apud omnes honorem illius augentes.
Jam diligenter Matri Dei ſerviamus,
Et omni curâ ejus gratiam quæramus.
Hæc enim apud Deum Magna Mediatrix,
In Mortis horâ ſuper omnes Conſolatrix.
Ad ejus Imagines reſpectum ſervemus,
Summam devotionem in cunctis firmemus.
Jesum noſtram Salutem in manib' geſtat;
Cùm digni fuerim',lubens nobis præſtat.
Sæpè invocanda eſt, ſæpe ſalutanda,
Dies ejus Sabbathi ſanctè celebranda;
Vita conſideranda, Virtutes tenendæ:
Et Confraternitates ejus amplectendæ.
Inter quas Roſarii Societas chara
Fulget,ac Scapularis non minus eſt clara,
In his fructus varios operum bonorum
Servi ejus colligunt, atque meritorum.
Intacta Conceptio illius tuenda,
In Cœlum Aſſumptio corporis colenda;
Et ipſius gratiâ proximi amandi
Illi, juncti ſanguine magis honorandi.

Ante

Ante omnes Josephus Sponsus ejus purus
Custos Virginitatis integræ securus.
Tùm Joachim & Anna Magni Genitores
Ejus, devotionis sunt præcelsi flores.
Horum Sacra Nomina non obliviscenda,
Imò corde & ore sæpe repetenda.
JESUS Maria Joseph Joachim & Anna
Sint in nostris cordibus ut cæleste manna.
Tum Joannes Baptista illius Cognatus,
Necnon Evangelista JESU semper gratus,
Ab eodem sub Cruce in filium datus,
Tutor usque ad Mortem ipsi consignatus.
Simus non immemores ejus Sociorum
In vitâ; Cognominum, & Apostolorum,
Ac aliorum; qui cum ipsâ hic vixerunt
Et Christo: qui libenter eis servierunt.
Qui post hac sigillatim illam coluêre,
Ejus Magnæ Gratiæ consortes fuêre.
Gabriel Archangelus ejus Tutelaris
Et salutis Nuncius nostræ singularis
Memorandus; Divinæ Incarnationis
Paranymphus, humanæ ac salvationis.

Michael Archangelus Dux Chori Cœlestis
Princeps Ecclesiæ ac Judicii Testis.
Tum Custodis Angeli continua cura,
Dulcis assistentia, opera matura,
Merentur memoriam ejus non cessantem,
Atq; amicitiam cum illo constantem.
In Sacro Baptismate Patronum collatum
Arcto Patrocinio nobis obligatum,
Et quem Confirmatio nobis ordinavit;
Hos ad colendum semper Amor destinavit.
Varii sunt denique Sancti eligendi,
Et locò Patronorum ut placet tenendi;
Hi Singulis Mensibus possunt variari,
Et quotannis noviter pro gustu captari.
Est non minus utilis devotio sequens,
Pro Agonizantibus oratio frequens.
Quandonam quisque sibi ferri exoptaret
Opem? nisi in illo, quo mortem spectaret,
Momento; quod terminat labilem ætatem:
Et perducit dubiam ad æternitatem.

Tum & pro demortuis Animabus
cunctis
Igne Purgatorio graviter perfunctis
Orandum, potissimùm pro his quæ privatæ
Sunt omni auxilio; quæ, ut sint beatæ,
Proximæ ad exitum: quæ DEI Amore
Hìc in terris arserant maximo fervore:
Vel quæ ad Judicium extremum damnatæ,
Vel devotionibus istis occupatæ
Fuerunt; speciatim poterunt juvari:
Ut mereantur Cœli patriâ donari.
Demum Præparatio ad mortem sit sanâ
Mente summè diligens & quotidiana;
Corporis & Animæ Testamento prona:
Bonæ procuratio per opera bona.

TRes sunt qui testimoniũ dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt 1. Joan. 7. 8.

In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Matt. 28. 19.

ERGA DEUM.

Actus Omnium Virtutum Internarum Servire possunt pro Exercitio Matutino, vel Vespertino.

IN Abyssum nihili mei me secernens,
Coram Te, mi Creator, supplex me prosternens,
Adoro Majestatem Tuam omni voto;
Te Deum confiteor coram Orbe toto.
Te Patrem Ingenitum Natum generantem,
Te Filium Genitum à Patre manantem;
Te Spiritum Sanctũ ab utroq; Spiratum,
Unius in Personis Tribus DEI Statum.
Trinum DEUM & Unum in Unâ Naturâ,
A quo producta omnis mundi Creatura;
Qui es: in Essentia Tua indivisum,
Solum ineffabilem, â nemine visum.
Per miram Nati Tui Incarnationem
Sempiternam homini das salvationem.
Gratiis Sanctificas â Spiritu datis
Sancto, nos ad gloriam Tuam formans gratis.
Credo in Te ô DEUS Veritas Secura,
In Te infallibillis, semper permansura.

Credo quod Ecclesiæ Tuæ revelasti,
Et Orbi ad credendum verbo nunciasti.
Hanc Fidem Sanctam volo semper confiteri,
Ut Summam Veritatem à Cunctis haberi;
Ad fundendum sangvinem me sacrificare,
Pro illâ promptus; omnem mortem acceptare.
Quàm es Admirabilis & Incomprehensus!
Non Te capit ratio, quia es Immensus,
Æternus, Omnipotens, DEUS Vivus Rectus,
Infinitus, Sapiens, Sanctus, & Perfectus.
Tibi Magnitudinem hanc gratulor lætus,
De hac Altitudine gaudio repletus;
Omnem Tibi exopto hanc Sublimitatem;
Noscat Orbis, Utinam! Tuam Dignitatem.

§ II.

O Ter Sancte Domine Zebaoth! Tuorum
Quis adire limina potest adytorum?

In Te, & operibus Tuis es Stupendus,
In cunctis Judiciis es summe Tremendus.
In Tuâ Justitiâ exhibes Te Rectum,
Et in Providentiâ summè Circumspectum.
Ipsam Sapientiam essentiâ præfers,
Et Omnipotentiâ Tuâ quod vis refers.
Apud Te Dictum Factum est indubitatum,
Labor quies, & Velle Opus est paratum.
Tu Secreta Cordium apertè scrutaris,
Et Cogitationum abdita rimaris.
Omnia scis, penetras ictu oculorum;
Vides, tenes intima ipsa occultorum.
Comprehendis omnia, nil Tibi celatur;
Præsens ubique: Totum Tibi revelatur.
Cuncta regis, ordinas, attingis, disponis,
Absque curâ: etiam minima componis.
Ergo jure merito admiror Te DEUM,
Te Authorem omnium, & Factorem meum.
Inde super omnia Te sic Sublimatum
Æstimo, & veneror superexaltatum,

Ado-

Adoro, revereor, laudo, benedico,
Honoro, glorifico; Te Orbi edico.
Tu es Spes mea DEUS, in Te ſolo ſpero,
Et in Tuâ Gratiâ fiduciam gero.
Ad Te, Summa Bonitas, currit meum
Votum,
Te Vera Felicitas deſidero totum.

§ III.

AMo Te cordicitùs ô Amor Immenſe,
Tot profuse gratiis, Amo quam intenſé:
Amo propter Teipſum, ex animâ totâ,
Super omnia Tibi & Soli devotâ.
Tibi ſemper gratias ago exquiſitas,
Propter Tuas Gratias planè infinitas;
O quot Beneficia in me profudiſti!
O quot Privilegiis me inſignivisti!
Quid Tibi retribuam pro omnibus Donis,
Quæ mihi tribuiſti, tot tantisque Bonis?
Nihil ſum, nil habeo, neque Tu Bonorum
Meorum eges, qui es Largitor eorum.
Sed Tibi fideliter me ſacrificare
Cum omnibus debeo; totum dedicare,

Et ſervire ſtrenuè: ea quæ dediſti,
Honori Tuo pendens, Veluti ſanxiſti.
Ergo tibi Domine ſerviam conſtanter,
Me cum cunctis offeram Tibi inceſſanter;
Quidquid ſum & habeo pro Tuo honore;
Motu gratitudinis tradam cum fervore.
Te pro me ſanctificet ex totâ naturâ
Laudet & glorificet omnis Creatura;
Et gratiis gratias referat ardenter:
Ac gloriam elevet Tuam eminenter.
Sed ego ah! ingratus Tuæ Bonitati,
Effrenis addixi me omni pravitati;
Meæque malitiâ vitæ Te offendi:
Pluribus exceſſibus ad iram accendi.
Quàm me ſummè pœnitet! quàm doleo verè,
Sic delictis animam infectam habere!
Hinc cor meum contero pœnâ quàm ſeverè,
Ad miſericordiam optans Te movere!

§ IV.

PArce mihi Domine, indulge peccatis,
Et transgreſſionibus legis perpetratis.
Fac

Fac ut Tuam veniam merear indignus
Atque Tuæ Gratiæ recipiam pignus.
Ex nunc meam cupio vitam emendare,
Omni pœnitentiâ illam emundare;
Et culpam confiteri, Satisfactionem
Exequi polliceor, ad ipſum agonem.
Sed cum Tuâ gratiâ hoc Tibi promitto,
Quòd non velim amplius peccare, ſub-
mitto.
Rogo Te per Sangvinem mei Salva-
toris
Paſſionem ac Mortem Summi Redem-
ptoris.
Ah! miſerere mei, ignoſce delicta,
Ne delinquam gratiâ juva me addictâ.
Abhinc Tua ſtatuo ſervare mandata
Et opera facere Tibi ſemper grata.
Volo meos defectus planè extirpare,
Et pro illis varias virtutes plantare,
Ad mortem fideliter me Tibi litare:
Ut videre merear Tuum Salutare.
Hinc me Tuæ dedico totum voluntati,
Plenè meæ nuncium mitto libertati;
Ut ſim Tuus, cupio. Nil volo præſenter
Quod vis, mecum ordina, capiam
lubenter.

Radicitus abnego meam volnntatem,
Ut omnis mali fontem; ut perversitatem.
Totum Tibi offero tempus meæ vitæ,
Cum momentis omnibus dedicatum ritè.
Ad omnes me immolo tribulationes,
Quascunque immiseris, feram passiones.
Hic ure, seca, puni, nec quicquam omitte
Pœnæ; tantùm debita in ævum dimitte.
In Satisfactionem pro meis peccatis,
In meâ inopiâ, plena pietatis
Et Virtutum opera offero exacta
A JESU & MARIA & Sanctis peracta.
Horum Supplex invoco deprecationem,
JESU gratiam, necnon intercessionem
Matris Gratiæ, cûi me commendo & oro;
Ut me semper protegat ac servet, imploro.
Sic per Tuam Gratiam peccata cavere,
Ab iis ut Inferis volo abhorrere;
Mori malens satiùs quàm ullâ fædari
Culpâ: amicitiâ vel Tuâ privari.

O si mihi Cordium essent milliones!
Ad Amoris Unici Tui actiones
Et laudum præconia: hæcque iterare
Possem semper, quoties licèt respirare.

§ VI.

JAm ergo me abstrahe ab omnibus rebus
Meque Tibi intrahe; cunctis speciebus
A me pulsis: habeam Te solùm constanter,
Nec dimittam, teneam sed perseveranter.
Nil peto, nisi culpæ absolutionem,
Tuarum gratiarum impertitionem;
Ut mihi atque mundo moriens excludar:
TibiqueSoli vivens, integer includar.
Quidquid agam igitur, sive cogitabo,
Vel loquar, sollicitè hoc totum patrabo;
Ad laudis & gloriæ Tuæ incrementum,
Voluntatis solius Tuæ complementum:
Ex Amore erga Te, inque Unione
Meritorum Christi, & in Communione
Placitorum operum; illa præsentando
Per corda Beatorum; Cum cunctis dicando.

Licèt ſciam pulverem me eſſe abjectum,
Ipſum planè nihilum omnibus dete-
ctum;
Cunctis peccatoribus & indigniorem:
Damnatis, dæmonibus & ingratiorem.
Totum ex me provenit, quod ad malum
pronum;
Sed unicè profluit à Te quod eſt Bo-
num.
Cùm omnia fecero, ſervus ſum ineptus
Faciens quod debeo, ad nihil acceptus.

§ VII.

PErmitte ut valeam preces deſtinare
Pro his quibus debeo Te DEUM orare,
Exoptans æqualiter tam bonis Amicis,
Quam ex Tuo placito meis Inimicis.
Pro collatis gratiis Tibi grates teſtor,
Pro peccatis omnibus dolore infeſtor,
Quævis bona opera offero: honori
Fac ut Tuo ſerviant, & vero Amori.
Quidquid mihi voveo, totum illis præſta;
Et Electis aggrega, ne ferant moleſta.
Confer Peccatoribus emendationem,
Da Juſtis perfectam in bono ſtatio-
nem.

Sic

Sis Agonizantibus plane derelictis
Misericors Domine undique afflictis.
Sis memor agoniæ, cruenti sudoris
JESU Agonizantis, in Cruce doloris.
In illo, â quo pendet Æternum, momento,
Ut in pœnitentiâ decedant, memento.
In igne purgatorio Animæ detentæ
Defunctorum, gratiâ Tuâ sint præventæ.
Ut habeant requiem in Tua virtute,
Potiantur Gloriæ Cœlestis salute.
Sic in Te Ecclesia triumphans æternè
Vivat, sanctè Militans, patiens internè:
Ut in Tuo Nomine & genu flectatur
Omne, mi DEUS, & laus ac honor agatur;
A Terrenis, Cœlicis, & cunctis Infernis:
Ad Amorem, Gloriam Tuam sempiternis.
Rogo Te per Amoris Tui rationem,
Dona nobis omnibus Benedictionem;
Efficacem Gratiam da semper formalem:
Et pro morte prosperâ da plenè finalem.
DEO Patri Gloria sit Omnipotenti,
Sit Gloria Filio Patris Sapienti;

Et

Et Sancto Spiritui Utriusque Dono:
Gloria Unitrino DEO Summo Bono.
Sicut in principio erat ante ævum,
Sic in cursu temporis, nullum ferens nævum;
Nunc & semper resonet á cunctis suprema
Gloria: in secula maneat extrema.

NOn judicavi me scire aliquid inter vos nisi JESUM Christum & hunc Crucifixum 1. Cor. 2. 2.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus escam dedit timentibus se Ps. 110. 4.

ERGA JESUM CHRISTUM

Potissimùm in SS. Sacramento Præsentem Actus omnium Virtutum Internarum.

Possunt servire ante & post Missam, & in Missâ, Ante & post Communionem: nec non pro Communione Spirituali.

§ I.

IESU DEUS & Homo in Unâ Personâ,
Duarum Naturarum Unita Corona.

DEI

DEI Patris Filius in Divinitate
Natus Matris Virginis in Humanitate.
Dedisti Te homini in salvationem,
Qui per culpam ruerat in damnationem.
O Messia Promisse! O Desiderate
Christe! date Gentibus, Orbi exspectate.
Tu Verus DEI Unctus, Rex Regum Supernus,
Atque Dominantium Dominus Æternus;
Magnus Sacerdos: Summus Pontifex secundùm
Ordinem Melchisedech in ævum profundum.
Tu DEI Verbum, per quod omnia creata,
Quæcunque sunt in mundo, atque conservata;
Verbum Caro factum in nobis habitasti:
Verba vitæ æternæ mundo prædicasti.
Salve Vita hominis, Veritas Secura,
Summa Sapientia, Via vitæ Pura:
Lux vera, illuminans omnem venientem
In hunc Mundum hominem, & cæcutientem.

Patris

Patris Unigenitus natus ab æterno,
Matris Primogenitus in tempore verno,
Esse DEI Filios Tu das potestatem
Nobis per Fidem vivam, Spem, & Charitatem.
Credo in Te, ò JESU Magne Reparator,
Et Humani Generis Concepte Salvator
In Secreto Viscerum Virginis Sacrorum
De Divino Spiritu, ut Sanctus Sanctorum.
Tu Crucem mox primitùs humilis portâsti,
Per obedientiam ad mortem gestâsti;
Ex amore præferens semper paupertatem,
Summam patientiam, atque Castitatem.

§ II.

NAtus es in Stabulo, pannis obligatus
Infans, in præsepi & fœno reclinatus
Inter animalia; frigus & fætorem
Passus, â Pastoribus per cœli favorem
Primò velut Salvator Mundi salutatus,
Nam eras per Angelos talis nunciatus.
Octavo post hac die cultro Circumcisus
Profudisti Sangvinem; JESUS Orbi visus.
Dein'

Dein' â Parentibus in templo oblatus,
Pro hoſtiâ turturum pari conſecratus:
In multorum poſitus reſurrectionem,
(Hæc prædixit Simeon) & deſtructionem.
Ab Ortu Solis Stellâ duce advenerunt
Tres Reges Sapientes, munera dederunt:
Aurum Regi, DEO thus, Sacerdoti puro;
Aſt amaram Homini myrrham morituro.
Ob perſecutionem Herodis fugiſti
In Ægyptum, & ſeptem annis emanſiſti;
In Templo Duodeno anno latitaſti
Triduo, Doctoribus legem explicâſti.
Ad Annum trigeſimum ſecretò vixiſti,
Matri atque Joſepho Subditus fuiſti.
A Joanne Jordanis aquâ baptizatus,
Ad tentandum Spiritu in deſertum latus.
Quater denis diebus jejunans nec edens
Donec modis variis tentator accedens
Te probavit tertiò: Hunc Tu ſuperâſti,
Portatos ab Angelis cibos manducâſti.
Hinc à Pœnitentiâ cæpiſti doctrinam,
Et à mundi contemptu. Hanc legem Divinam

Publicè hominibus cunctis prædicâsti,
Faciens atque docens exemplum monstrasti.
Elegisti Pauperes ad Apostolatum
Mandans, ut prædicarent Verbum cœlo satum.
Tribus & dimidio annis docuisti,
Miracula perpetrans plures convertisti.
Sustulisti interim persecutiones
Livores, calumnias, & detractiones;
Tamen benefaciens cunctis pertransîsti:
Veris pœnitentibus culpas dimisisti.

§ III.

IMpiorum manibus tandem Te dedisti,
Captivari, percuti, cœdi voluisti;
Illudi, flagellari, spinis coronari,
Conculcari, conspui, facie velari:
Condemnari ad Crucem, illam bajulare,
Cruci clavis affigi, Sic Te exaltare
Inter latrones nudum, lividum, plagatum,
Proscissum convitiis, & felle potatum.
Sic ex amore Tuo, O JESU! immenso
Corpus Tuum dolori dedisti intenso,
Profudisti Sangvinem; Tuam posuisti
Animam: morte dira vitam perdidisti.

Finivisti Innocens Agne sic pænosè
Ut peccata tolleres mundi pretiosè,
Corpus in monumento condi statuisti;
Ad inferos Animâ Tuâ descendisti.
Hinc de Limbo Animas Patrum extulisti,
Ad æternam gloriam Tecum conduxisti;
Dum resurgens Leo de Tribu Juda. Magne
Mortem, Orcum vicisti; jam triumphans Agne.
In Cœlum ascendisti, hoc aperuisti
Hactenus clausum; vinctos illuc induxisti:
Ut Beatitudine Tuâ fruerentur,
Atque plenum gaudium adipiscerentur.
Ubi jam ad dexteram Patris residendo,
Orbem regis hominum facta decidendo.
Iu Cœlo, & in Terra Tibi est potestas
Data, atque Judicis Supremi Majestas.
Ut Tui Memoriam linqueres recentem
Mentibus mortalium; patrasti ingentem
Et miram rem: Te dando Novô Testamentô
Sub panis Speciebus, Sancto Sacramento.

 Quam

Quam in explicabilis Summus Amor is
Quo indigna vilitas mea JESU Chri
Convertis in cibum Te meum gratio
Ut ſic me vivifices: intras amorosè
In os meum, me paſcens; Tibi uniendo
Cor: ejuſque intima ad Te pertrahend
Ut ſic ego in Te ac Tu in me manere
Gratiarum fluenta mihi exhiberes.

§ IV.

CRedo Te hìc præſentem in realitate
Cum Corpore, Animâ, & Divi-
tate,
Nec non vivo ſangvine, uti Specio
In Cœleſti Patriâ regnas Glorioſus.
Hìc es incircumſcriptè Unitus, totalis
Nec diviſus in partes; verè immorta
Integrè in minima parte ſubſiſtendo,
Mortem malis & vitam bonis trib-
endo.
Hìc naſceris verbô ſub panis ſpeciebus,
Per orbem multiplicans, Te partiu
rebus.
Das, quotquot ſunt homines Te u
cuique:
Ipſi Judæ tribuis Te promptum ubiq
Sac

Sacerdos & Hoſtia Te ſacrificando,
Ac panis eſſentiam tranſubſtantiando
In Carnem; in Sangvinem vinum immutando;
Es Dominus Maximus, Te Parvum monſtrando.
O Panis vitæ, Vive, de Cœlo deſcendens!
Manna Cœleſte, plenè ſaporem tranſcendens
Omnem: Deſiderium Angelorum merè,
Et inſatiabilis ſatietas verè.
Ita credo omnia de Te Incarnate
Mi DEUS, particulâ in hac ſituate.
Pro hac Fide cupio vitam meam dare,
Ejusque Veritatem ſangvine ſignare.
Omnis mea fiducia in Te mi Salvator,
In Tuâ Bonitate mi Vivificator.
Ad Tuam confugio gratiam, ſperando
In Miſericordiâ: illam invocando.
Quamvis mea ſcelera me à Te repellunt,
Tamen Tuâ merita me gratè percellunt:
Solatur Amor, qui Te pro me ſic addixit
Pœnis terribilibus, & Cruci affixit;
Innoxium Sangvinem fundere mandavit,
O Cara Redemptio! & mortem cauſavit.

Horum Myſteriorum Æternum me-
mento
Hic fixit, hoc amoris hamo adinvento
Quomodo Te mi JESU non ſummè a-
marem?
Qui me ſic dilexiſti, ut amoris parem
Modum haud reperiam; totum mi-
dando
Te, ac quidquid habebas: me Tibi lu-
crando.
Hinc me totum tradere Tibi obligatus
Sum, licèt criminibus maximis pro-
ſtratus.
Veniſti quandoquidem ad Te pecca-
tores
Vocare, non Juſtos ſed prævaricatores
Ut per pœnitentiam ad Te convertantur
Ac per Tuam gratiam ne peccent, ſi-
ſtantur.
Ego quoque Peccator, en ad Te conver-
tor,
Pro tot culpis doleo, ah! Tuus deſer-
tor;
Imo quod eſt maximum Tuarum pœna-
rum
Cauſa, & Paſſionum intolerandarum
Mo-

Mortificationum; Flagellationis,
Coronationis & Crucifixionis.
Cum Tuo auxilio jam nolo peccare,
Fultus Tuis meritis volo reparare.
Recipe in Gratiam indignam factu-
ram;
Et da Indulgentiam culparum matu-
ram.

§ VI.

PRocul à me affectus omnes vanitatis;
Cor meum desiderat jam æternitatis
Usum in solâ Tuâ JESU Charitate:
Salute meâ verâ & felicitate.
Amo Te ò mi JESU Amor exoptate!
Amo super omnia totâ potestate;
Amo propter Teipsum Unicum Amo-
rem:
Omnis Boni pretium, fontem & vigo-
rem.
Propter huncce Amorem ad omnes do-
lores
Ferendos me offero & Crucis ango-
res;
Dummodò sim particeps Tuæ Passionis,
Consors Mortis & Sanctæ Resurrecti-
onis.

Ecce mihi morior, atque creaturæ
Omni, ut vivam Tuæ Majeſtati purè.
Totum mundum abnego, execror, abjuro,
Et me: Tui Nominis ſolam laudem curo.
Tù es Sol Juſtitiæ plenus charitatis,
Ad Te trahe pulverem meæ vilitatis;
Ad laudis Tuæ leva propagationem:
Magnarum Gratiarum publicationem.
Laudo Te, Magnifico, Benedico, Colo;
Tua Beneficia propalari volo.
Agat Tibi gratias ſummas Orbis totus,
Tuis, nec deficiat, pedibus admotus:
Cum quo Te Verum DEUM cernuus adoro,
Tuis plantis ſupplici capite honoro;
Indignus ut videam Tuum ſalutare:
Tanto ingratus dono; quod præſtat Altare.

§ VII.

O Magnum Myſterium verè prædicandum!
Gratiarum omnium Mare admirandum!

Hæc

Hæc Tua miracula admiror impensè,
Teque ſuper omnia æſtimo intensè.
Summè Te appretio Bonum adamatum,
Exalto, glorifico, Lumen increatum:
Anhelo animitus Te in me habere,
Ex corde Te cupio ſemper poſſidere.
Veni Domine JESU ad animam meam,
Intra & Sanctifica, plenè reple eam:
Poſſide totaliter; Tibi ſit ſubjecta:
Sentiat præſentiam facie detectâ.
Hâcque aſſiſtentiâ ſemper delectetur,
Ad videndum Te clarè currere lætetur.
Veni, conjunge, liga, ut in Te ſubſiſtam,
Tu in me; à meipſo ſic ſemper deſiſtam.
Totus in Te transformer, Tu glorificeris,
Solus in me, ac per me Tu Sanctificeris.
Ipſamque carnem meam in ſpiritum muta,
Carnalitatis omnis ſit ſenſu exuta.
Tota voluntas mea exinaniatur
In ſe: Sed Tua in me ſic ſtabiliatur:
Ut quidquid vis facias, in me, mecum, per me,
Circa me, & ſine me; qui ſum vas inerme.

 Sic

Sic in Tuo Nomine & omne flectatur
Genu, mi JESU, & laus ac honor agatur
A Terrenis, Cælicis cunctis, & Infernis
Ad amorem, gloriam Tuam æviternis.
Rogo Te per Amoris Tui rationem,
Dona Nobis omnibus Benedictionem;
Efficacem Gratiam da ſemper formalem:
Et pro morte proſperâ da plenè finalem.
DEO Patri Gloria ſit Omnipotenti,
Sit Gloria Filio Patris Sapienti;
Et Sancto Spiritui, Utriuſque Dono:
Gloria Unitrino DEO Summo Bono.
Sicut in Principio erat ante ævum,
Sic in Curſu temporis nullum ferens nævum
Nuuc & ſemper reſonet à cunctis ſuprema,
Gloria: in ſecula maneat extrema.

ECce Mater tua. Joan. 19. 27.

ERGA

ERGA MARIAM
Virginem DEI Matrem
Actus Omnium Virtutum Internarum.

§ I.

1. SAnctissima Mater DEI,
 Summa Virgo Virginum,
Omnis Solatium Spei,
 Tu Regina Ordinum
Cœlestium; Angelorum
 Et Sanctorum Omnium:
Domina Universorum,
 Orbis Tu Delicium.
2. Advocata miserorum
 Semper præsentissima,
Mediatrix Peccatorum
 Summè potentissima;
Gaudium, Dulcedo, Vita
 Es cunctorum hominum;
Decus, Flos, Sors exquisita
 Creatorum germinum.
3. Salve Magna Æviterni
 Patris Primogenita,
Unigeniti Paterni
 Virgo Mater Inclyta;

Spiri-

Spiritus Sancti Formosa
Sponsa, Sanctuarium:
Trinitatis Speciosa
Domus, & Sacrarium.
4. Credo Te & ante partum
Virginem Tenerrimam,
Et in partu, & post partum
Semper Integerrimam.
Genitricem DEI Nati
Intactam, Purissimam;
Veri, Vivi, Increati
DEI Matrem Maximam.
5. Tu ab Æterno electa
DEI Amantissima
Super creata Evecta,
Tu Speciosissima.
In Tui Conceptûs Ortu
A labe Liberrima,
Et primæ culpæ abortu:
Gratiâ Pulcherrima.
6. Nam fuisti præservata
DEI Providentiâ
Ut esses Immaculata
Digna Excellentiâ
Tali, salutis futura
Utpote Principium;

JESUM Christum paritura,
Qui est Salus omnium.
7. Eras lux Pura, Decora,
Lumen orbi dederas,
Progrediens ut Aurora
Solem cunctis tuleras;
Pulchra velut luna plena,
Ut Sol Electissima:
Sicut Acies Serena
Castrorum Fortissima.

§ II.

MARIA Illuminatrix
Es in Tuo nomine,
Lucis veræ Propagatrix
A Divino lumine;
Singularis Stella maris,
Ductrix Navigantium:
In Undis Mundi amaris
Salus Naufragantium.
9. Tu es Stella Matutina
Cœcum Orbem recreans
Post noctem culpæ, Divinâ
Luce corda permeans.
Dies clara exoptata,
Dies acceptabilis;

Imò Meridies grata
Dilecti Amabilis.
10. Tu es DEI Paradisus
Deliciosissimus,
Arbore vitæ provisus.
Hortus amænissimus,
Semper Conclusus, serpentis
Quo non penetraverat
Fraus: Nam Tui Conterentis
Pedis vis hunc fregerat.
11. Terra Benedictionis
Benedictum proferens
Fructum; ac promissionis
Lac & mel præseferens.
Ager non tactus, & gratùm
Spirans; odoriferus:
Omnis fragrantiæ Pratum,
Et Campus Florigerus.
12. In Te splendet Castitatis
Virgineæ Lilium,
Candoris & Puritatis
Specimen eximium.
Imperialis excellit
Corona Justitiæ;
Cariophyllum præcellit
Omnis Sanctimoniæ.

13. Viola Humilitatis
Quam ſuaviter redolet!
Gelſominum Paupertatis
Quam gratè ſuaveolet!
Manſuetudinis Narciſſus
Prodit amabiliter:
Pandit largitatis miſſus
Martagon utiliter.
14. Obedientiæ clarum
Eſt Heliotropium,
In ſole ſequendo rarum
Velle DEI obvium;
Hic non ſentit ullum Palma
Pondus Patientiæ;
Et præclarè Laurus alma
Triumphat Victoriæ.
15. Hìc Cedrus Integritatis
Eſt abſque putredine;
Cypreſſus viridítatis,
Potens altitudine.
Hìc fructifera Oliva
Eſt Miſericordiæ,
Hìc fragrat Charitas viva,
Balſamum Clementiæ.
16. Hìc Amoris DEI Roſa
Flammeſcens rubedine,

Abſ-

Abſque ſpinis es Formoſa
Candicans albedine.
Hyacinthus hic odorem
Dat Virtutis Cœlicæ;
Cum DEO manendi morem
Et Vitæ Angelicæ.

§ III.

17. A DEO Patre Majeſtas
In Te eſt Potentiæ,
A Filio DEI præſtas
Luce Sapientiæ;
A Spiritu Sancto omnis
Boni eſt Profluvium:
Sic Summæ Perfectionis
Eſt in Te compendium.
18. O Sanctiſſima MARIA
Tu Mare Interminum
Gratiarum; Patens via
Divinorum Germinum.
Cœli Privilegiorum
Mons imperſcrutabilis:
Terræ Prærogativarum
Fons inæſtimabilis.
19. Tu Triennis præſentata,
Ducta à Parentibus

Es ad Templum : conſecrata
DEO plenis mentibus.
Hìc Virginitate ratâ
Votum primum faciens
Joſepho es deſponſata
Votum non transgrediens.
20. Gaudia Tua ſuperna
Quam ſunt mirabilia!
Et ſolatia interna
Inexplicabilia!
I. In Annunciatione
Dum JESUM conceperas
De Spiritûs unctione
DEI vim reſenſeras.
21. Hinc ad Viſitationem
Cognatæ perrexeras,
Ac per ſalutationem
Hanc lætificaveras;
In utero exultantem
Joannem ſanctificans:
Benedicta DEUM dantem
Magna tunc magnificans.
22. II. *Dum* JESUM abſque dolore
Intacta genueras,
Cum Angelorum canore
Lacte Tuo paveras.

III. *Dum* Tres Reges ductu Vatis
Ac Stellæ advenerant,
Et muneribus oblatis
DEUM adoraverant.
23. IV. *Dum* Gloriosus post mortem
Christus resurrexerat,
Viventis in ævum sortem
Ferens apparuerat.
V. Valedicens Tibi Matri
Dum Cœlum conscenderat,
Velut Rex & Judex Patri
Ad Dextram consederat.
24. VI. Spiritus Sanctus ignitis,
Dum lingvis descenderat,
Flammis Amoris accitis
Cor Tuum repleverat.
Posthâc per DEI delectum
Hic in terris manseras,
Apud Joannem dilectum
JESU habitaveras:
25. Ab ipso in Sacramento
Filium suscipiens;
Fideles. Tuæ momento
Præsentiæ muniens.
VII. *Dum* in Cœlum sublevata
Cum corpore fueras,

Creatis cunctis prælata
Filio aſſederas.

§ IV.

26. O Quam ibi Glorioſa
Coruſcas ſolenniter!
Supra ſolem Luminoſa
Inhæres totaliter
DEO: â quo Coronata
Splendes ſpecialiter,
A Sanctis Sancta vocata
Es univerſaliter.
27. I. *Gaudes* illic inceſſanter
Quòd Flore virgineo
Omnes vincis abundanter
Cum cultu æthereo.
II. *Gaudes* quòd Cœlos accendis
Faciei lumine
Terraſque: Solem tranſcendis
Lucis claritudine.
28. III. *Gaudes* quod Tibi devota
Prompta Cœli Curia
Ad Tuum ſit nutum tota,
Tuâ plena gratiâ.
IV. *Gaudes* Summæ Majeſtati
Quod ſis conjunctiſſima,

Nostræ semper egestati
Impetrans grandissima.
29. V. *Gaudes* quod DEUS gratiam
Dat Tuis clientibus,
Et singularem Gloriam
In Cœlicis sedibus.
VI. *Gaudes* de proximitate
Trinitatis intimâ
In Gloriâ: Charitate
Inflammata maximâ.
30. VII. *Gandes* certa & secura
Quia Tua Gaudia
Nullum finem habitura
In ævum eximia.
Ergo Magna Virgo gaude
De gaudiis omnibus,
Exulta Mater & plaude
De Summis honoribus
31. Gaudeo & ego pedum
Tuorum pulvisculus
De Gaudiis Tuis; nedum
Servulus minusculus.
Congratulor ex totis
Cotdis penetralibus;
Congaudeo plenis votis
His Tuis magnalibus.

32. Gaudeat mecum immenſa
Orbis Univerſitas,
Accedat zelo accenſa
Ad Cœlorum orbitas:
DEUM Tuum Salutarem
Ex corde magnificans,
In Gratiâ ſingularem
Et Gloriâ prædicans.
33. Quod Te humilem probatam
Reſpexit benigniter;
Unde omnes Te Beatam
Dicunt unanimiter,
Sanctum Nomen celebrantes
DEI, qui evexerat
Te in Matrem: collaudantes,
Magna Tibi fecerat.

§ V.

34. SIt ab omni Natione
Benedictus Optimus
De glorificatione
Tuâ DEUS Maximus,
MARIA in ævum vive,
Vive feliciſſimè
Cum Filio Tuo: vive
Cum DEO lætiſſimè.

35. Ego pulvis ad Te volo,
Te honoro Optima;
Laudo, benedico, colo,
Te exalto Maxima.
Optans, ut Te Orbis totus
Agnoſcat, magnificet:
Condignos Tibi devotus
Honores ædificet.
36. Mater Summæ Dignitatis
Quam es Admirabilis!
Omnis Virgo Bonitatis
Quam plenè Amabilis!
Æſtimo Te ſuper cuncta
Poſt DEUM Digniſſima
Mater: appretio uncta
Virgo quâm Puriſſima.
37. Te poſt JESUM & cum JESU
Amo ardentiſſimè,
Super omnes toto niſu
Cordis fideliſſimè.
Ad Te meum ſe extendit
Votum ac ſuſpirium;
Ad Amorem Tuum tendit
Omne deſiderium.
38. Omnis mea ſpes eſt in Te
Poſt DEUM, ò Gratiæ
Mater, petens munus â Te
Hoc Miſericordiæ:

Impetres ut peccatorum
Mihi indulgentiam,
Gratiam DEI Donorum;
Et Cœleſtem Gloriam.
39. Agnoſco me negligenter
In Tuo ſervitio
Egiſſe, ſed Tu clementer
Parce meo vitio:
Hunc teporem emendabo
Et jam diligentius
Agam: ſemper conſignabo
Me Tibi ferventius.
40. In ſuppletionem gratum
Omne Tibi offero,
Quidquid à DEO oblatum
Vel ab orbe defero;
Totum trado in æternum
Me Tibi mancipium:
Me ad gratiæ internum
Sume patrocinium.

§ VI.

41. CUm dolore Peccatorum
Ut ſim, eſt juſtiſſimum,
Tuorum memor dolorum,
Imò eſt æquiſſimum:

Ut me agnoscam ipsorum
Causam esse maximam,
Condolens Tibi, cunctorum
Pœnam feram intimam.
42. Recordor inde Doloris,
Quem Tibi inflixerat
Simeon, atque mæroris;
I. *Dum* Tuam prædixerat
Gladium pertransiturum
Animam innoxiam;
Quod esset Natus multorum
Casus ob perfidiam.
43. II. *Dum* ob Herodem coacta
Ire in exilium
Ægypti; eras abacta,
Tuum gerens Filium.
III. Et *quando* hunc perdidisti;
Triduo deperditum
Quærens, dolens, reperisti
In Templo absconditum.
44. Sed jam ah! Tui Dolores
Quàm intolerabiles!
IV. Valedicto, dum angores
JESUS deplorabiles
Funes, Carceres, Catenas,
Flagella, judicia:

Spinas, infinitas pœnas
Passus, & supplicia,
45. V. *Quando* Crucem bajulanti
Mæsta obviaveras,
Visu spectaculi tanti
Viribus defeceras.
Dum in Crucem ageretur
In latronum medio,
Et aceto potaretur
Juncto improperio.
46. Quis poterit explicare
Omnes contumelias
Crucifixi? quis narrare
Convitia, injurias?
Quis Tui afflictiones
Cordis amarissimi
Dicet? quando passiones
JESU Dilectissimi.
47. Vidisti: Considerâsti
Ut leprosi faciem,
Defædatam observâsti
Non habentem speciem.
Lividum in Cruce stantem
Gementem & saucium:
Te Matrem Joanni dantem,
Hunc Tibi in Filium.

48. Cum JESU agonizante
Tu agonizaveras,
Et ſingultu anhelante
Hunc ſecuta fueras.
VI. *Sic mortuum*, vulneratum,
De Cruce depoſitum,
In ſinum Tuum delatum,
Suſcepiſti perditum.
49. Ibi plagas oſculata
Abluebas lachrymis,
Et gemitibus orbata,
Suſpirabas intimis;
Demùm planctibus diſtenta,
Corpus ſepeliveras:
Paſſionis Inſtrumenta,
Tibi retinueras.
50. Quam fuit gravaminoſa
Summâ patientiâ
Atque Tibi doloroſa
Tunc JESU abſentia.
VII. *Porrò* poſt Aſcenſionem,
Ejus, quàm frequentibus
Locorum reviſionem,
Peragebas vicibus.
51. Verè Mara, replicabas
In amaritudine,

Pœnas; mortem ruminabas
Threnorum gravedine.
Fac me Tuis quoad vivo
Immergi doloribus;
Volo fletûs fundi rivo,
Tuis jungi planctibus.

§ VII.

52. COmmendans in Patris manus
JESUS suam Animam
Monet me; ut ego sanus
Ad horam novissimam,
Me Tuæ directioni
Tradam singulariter:
Ut DEI Protectioni
Me commendes pariter.
53. Mater Misericordiæ
Fac Tuo præsidio,
Ne peream justitiæ
Rigoris excidio.
Quin potius per merita
Passionis Filii
A Te ducar in adyta
Cœlestis Imperii.
54. Interim JESU Cruore
Solari miserias

Desidero, & dolore
  Tuo meas nænias.
Cupio Te imitari
  In cunctis virtutibus;
Tuum Natum comitari
  Legis ejus ductibus.
55. Ut DEO possim placere
  In meis operibus,
Ejus placito parere
  In omnibus actibus.
Ergo maneam constanter
  Sub Tui refugii
Umbrâ: hæream amanter
  In usu servitii.
56. Laudo DEUM de mirandis
  Operum generibus,
Factis coram æstimandis
  Tuis imaginibus;
In locis Tibi dicatis,
  Cum oblationibus
Me sacrando, Tibi datis
  Ubique muneribus.
57. Fac Tuam in corde feram
  Æternùm imaginem
Tuæ speciei geram
  Jucundam propaginem

Ut me salves in æternum:
Hoc Tuum miraculum
In me sit; me ad supernum
Ducens habitaculum.
58. Ut Totius Benedicta
Orbis es quam maxima,
Ut multò magis sic dicta
Proles Divinissima;
Sic nobis benedic: cuncti
Benedicti Domini
Ut jungamur vitâ functi
Electorum Nomini.

ECce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi. Observa eum & audi vocem ejus: nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris: & est nomen meum in illo. Exod. 23. 20.

ERGA ANGELOS

Actus Omnium Virtutum Internarum

[Michael Archangele, Gabriel Archangele, Raphael Archangele.]

CHare Custos Angele, Spiritus Cœlestis,
Et Divinæ Gratiæ Particeps ac Testis;
JESU Christi meritis in eâ firmate:
Ne cum pravis rueres, illis præservate.
Es à DEO Spiritus agilis creatus,
A pondere corporis gravi liber satus;
Cœli Privilegiis variis donatus:
Inter Magnos Aulicos DEI nominatus.
Lucifer (tenebrifer pòst) quando superbus
Et contumax restitit Numini acerbus,
Dive Princeps Michael } Tu insurrexisti
Cum Divo Michaele }
Contra ipsum prælio; Cœlo ejecisti.
Sic cum DEO permanens per humilitatem,
Videre merueras DEI Majestatem.
At maligni spiritus decreto perculsi
Cum Duce ad inferos & pœnas expulsi.
[Michael Archangele Præses Paradisi,
Victor Potentissime draconis invisi,
Quis ut DEUS! intonas, Gloriæ Divinæ
Zelotes: Ecclesiæ Princeps genuine.

Gabri-

Gabriel Archangele Divinæ Virtutis
Atque fortitudinis; Nuncie Salutis:
Paranymphe Virginis DEUM parientis,
Et Custos fidissime in Terris degentis.
Raphael Archangele DEI Medicina,
Asmodeum strinxeras trucem vi Divinâ;
Tobiam conduxeras faustè Juniorem:
Optato donaveras visu Seniorem.
Custos Amantissime à Nativitate
DEI Providentiâ mihi assignate;
Patrone Fortissime Protector & Tutor:
In Necessitatibus Proxime adjutor.]
O Beate Spiritus triumphans in Cœlis,
A DEO ad homines Angele Fidelis,
Saluto Te, honoro, laudo, benedico,
Ut Magnum Archangelum } in orbe e-
Ut Cœlestem Spiritum } dico.
Sit DEUS Benedictus de Tuâ virtute,
Ab omni Creaturâ; & plenâ salute:
Qui potenti gratiâ á lapsu servavit
Te, ac in Cœlo suâ gloriâ beavit.
Gaudeo inde, Tecum collætor internè,
Hancce felicitatem gratulor supernè,
Tibi: ac sigillatim Cœlicam Coronam,
Palmam & laureolam, partem Dei bonam.
Vive DEO, cum DEO, in DEI amore,
Perenna, atque pleni gaudii dulcore.
Lau-

Lauda DEUM perpetim, quod sis Dei
Servus
Gaude cum Majestate, Hominum
Conservus.
Omnes Tibi offero ex orbe honores,
Cultus & servitiâ, ac Cœli favores;
Exoptans ut Te cultu omnes prose-
quantur:
Semper patrocinio Tuo perfruantur.
Adsis mihi igitur ô Spiritus Fortis!
Quando ad me Spiritus condemnatæ
sortis
Accedet, illaqueans me carne vel mun-
do;
Pelle â me perditum succursu secundo.
Defende, illumina, prudentiam doce,
Rege, juva, abstrahe â maligni voce;
Arma, firma, excita pigrum reluctan-
tem:
Solare, fer, præcave, increpa cunctantē:
Funda in Virtutibus, in Devotione
Accende: in Gratiæ DEI Unione
Serva, & operibus bonis. Meas defer
Preces ante Dominum, & gratias refer.
Offer ut aromatum fumum in conspectu
DEI, ut sim placitus in ejus respectu,
Con-

Conſtans in ſervitio. Duc me viâ rectâ
Ne offendam pedibus, ſemitâ perfectâ.
Cum approximaverit terminus laboris,
In profectu ſpiritum inflamma fervoris;
Ut tendam exactius ad perfectionem:
Ex amore cupiens DEI viſionem.
Sed dum mei obitûs venerit momentum,
Advola, & exere Tuum adjumentum;
Ut animam tradere poſſim Salvatori
In manus: ne peream, fac me bene mori.
Poſito in littore tunc æternitatis
Aſſiſte, Judicio da facere ſatis;
Mecum unà ſupera fraudes accuſantis:
Placa cum Cœlitibus vultum Judicantis.
Sis in itineribus æternis inſtructor;
Ne ad ignes veniam purgantes conductor:
Et ſic ante faciem Summæ Majeſtatis
Siſte me; ut gaudeam Tecum & Beatis.

Mihi honorificati ſunt Amici tui DEUS. Pſ. 138. 17.

ERGA SANCTOS vel SANCTAS

Actus Omnium Virtutum Internarum.

ELecte (a) DEI Sancte (a) Triumphans in Cœlo
In æternum, & videns Deum abſque velo;
Saluto Te, honoro, laudo benedico:
Ac velut Sanctum (am) coram orbe Te edico.
Sit Benedictus DEUS de Tuâ virtute
Ab omni creaturâ, & plena ſalute;
Quod Te hic efficaci gratiâ donavit:
Et in Cœlo gloriâ Sanctorum beavit.
Gaudeo inde, Tecum collætor internè;
Hancce felicitatem gratulor ſupernè
Tibi: ac ſigillatim [Cœlicam] Coronam,
[Doctorum, Martyrum, Virginum]
Palmam, ac laureolam: Partem DEI bonam.
Vive DEO Cum DEO, in DEI Amore
Perenna, atque pleni gaudii dulcore.
Lauda DEUM perpetim, quod ſis DEI natus,
Gaude cum Majeſtate, Frater JESU gratus.

Omnes Tibi offero ex Orbe honores
Cultus & ſervitia, ac cœli favores;
Exoptans ut Te cultu omnes proſequantur:
Semper Patrocinio Tuo perfruantur.
Exora DEUM pro me, ut ſim æmulator
DEI, ut Tu: Virtutum Tuarum ſectator.
In quovis caſu meus ſis opitulator,
In neceſſitatibus ſis auxiliator.
Poſce Tuis precibus plenam peccatorum
Veniam, & augmentum operum bonorum.
Et quia continuò cogor hic bellare,
Juva, & fac, ut ſemper queam triumphare.
Sub agonem animæ meritis aſſiſte,
Et prece: præſentiam Tuam mihi ſiſte.
Gratiarum Tuarum fac ſim & donorum
Conſors; ac Cœleſtium particeps Bonorum.

SUSPIRIUM ad ANGELOS & OMNES SANCTOS.

O DEI Excercitus ingens Angelorum!
Cœleſtis militia, Chorus Muſicorum:
Vos Cuſtodes Hominum, Sacrorum locorum
Fidi Inter nuncii omnium factorum.
Supremi Archangeli, Miniſtri Majores
Dei ad graviſſima, Regnorum Rectores:
Quorum Septem Spiritus in DEI conſpectu
Semper ſtant promptiſſimi cum digno reſpectu.
Poteſtates Inclytæ, Summi Principatus,
Et Dominationum, Et Virtutum Status,
Throni Præſtantiſſimi, Cherubim lucentes:
Et Seraphim in DEI Amore ferventes.
O Millia Millium DEI Cultu plena!
Er Decies Millies millia centena,
Deo Miniſtrantium, laudantium Deum,
Ipſi aſſiſtentium, canentium eum.

Cœle-

Cœleſtes Hierarchiæ DEO perfruentes,
Adjuvate Nos omnes in terris gementes;
Ut veſtro conſortio jungi mereamur:
Et vobiscum gloriâ DEI repleamur.
Patriarchæ Inclyti, & Magni Prophetæ,
Apoſtoli Domini, Martyres, Athletæ
Chriſti; multis præliis clari Confeſſores,
Virgines & Viduæ: Parvulorum flores.
O Beatæ Animæ in Cœlis gaudentes,
Conſortes & Concives olim hìc degentes
Pro noſtrâ dignemini orare ſalute:
Ut vobis ſociemur Divinâ virtute.
Omnes Cœli Incolæ jam Comprehenſores
Clementer reſpicite nos hìc viatores:
Ut vocati Cœlicam ad hæreditatem
Electi agnoſcamus DEI Bonitatem.

ORatio fidei ſalvabit infirmum & leviabit eum Dominus. Jac. 5. 1

SUSPIRIUM ad JESUM CRUCIFIXUM

Pro Animabus in Agone Extremo Constitutis.

O JESU mi Crucifixe,
Agne Amore transfixe,
Agoniæ Tuæ memor
Sis, in horto quando tremor;
Angustia & acredo,
Tristitia & gravedo
Animam Tuam turbârunt,
Et cor Tuum occupârunt:
Ut deficeret langvore
Corpus Tuum ex angore.
Unde Sangvinis fluentis
Et in terram decurrentis
Sudor factus est mirandus,
Et â cunctis adorandus.
Ubi Angelus de cœlo
Sublato mæroris velo
Te confortans sublevavit;
Consolatio firmavit.
Nec minus sis memor vitæ
Tuæ in cruce finitæ,

Acerrimorum dolorum
In agone perpessorum,
Manibus Cruci affixis,
Pedibus Clavis confixis,
Totus inundans cruore,
Omni repletus squallore;
Tristi valedicens Matri,
Spiritum commendans Patri.
Per omnes vitæ labores
Et cunctos mortis dolores,
Rogo Te Salvator Vere
Animarum miserere,
In agone positarum,
Ad mortem destinatarum.
Adsis illis illâ horâ,
Quâ migrare sine morâ
Debent; ut per Te juventur,
A peccatis liberentur.
Firma illas Passione,
Tuo conforta agone;
Morte salva: pellens hostes,
Sangvine conspergens postes
Exitûs vitæ fatalis
Sub ingressum immortalis.
Illas duc ad Paradisum
Bono latroni provisum,

Gratiâ Tuâ trahendo;
Gloriâ Tecum jungendo.
Idem fac cum moriente
Animâ meâ gemente,
Ut Columba, trepidante:
In plagas Tuas volante.
In Tuis eam conserva
Vulneribus, & præserva
Ab hostis tentatione;
Inferni damnatione.
Meritis Tuis armatam
Perduc ad vitam beatam.

SAncta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur 2. Mach. 12. 26.

SUSPIRIUM ad Eundem CRVCIFIXVM

Pro Animabus in Igne Purgatorio detentis.

IESU Clementissime Salus animarum,
Et cara Redemptio in Cruce illarum;
Respice quàm plurimis pœnis sint gravatæ
Animæ, imagines Tuæ à Te satæ. In

In expiatorio igne cruciantur
 Intensis doloribus, & angustiantur.
 Audi quam gementibus vocibus suspi-
 rant,
 Ad Tuam opem! ad Te videndum,
 aspirant!
Recordare quomodo pro his laborâsti
 In terris dum viveres, & Crucem por-
 tâsti;
 Pœnas & miserias tunc sustinuisti:
 Pto illis cum lachrymis Patrem leni-
 visti.
Demum Te tradideras in captivitatem,
 Catenas, & vincula, & crudelitatem;
 Judicatus fueras, contemptus, conspu-
 tus,
 Condemnatus, illusus, vestibus exutus:
Funibus, catenulis, virgis flagellatus,
 Et spinosis vepribus caput coronatus:
 Genu flexo derisus, colaphis percussus:
 Uc Rex tectus purpurâ, pedibus con-
 cussus.
Pòst propriis humeris crucem bajulâsti,
 Ob gravitatem ejus sæpius labasti;
 Fel cum aceto gustans, totus denudatus:
 Clavis cruci affixus, orbi præsentatus.

Inter latrones tanquam malefactor in-
gens.
Te quot improperiis ſtrinxit turba,
cingens?
Veniant ob oculos hi cuncti dolores,
Pœnæ acerbiſſimæ, Sangvinis ſudores;
Langvores, calumniæ, blaſphemiæ, ſpu-
ta:
Ictus, contumeliæ, opprobria bruta.
Cerne ſacri ſangvinis tot effuſiones,
Mortis crudeliſſimæ in cruce agones.
Pro perſecutoribus, ut Patrem orâſti
Ac Crucifixoribus, ut eum placâſti:
Sic iſtis miſerere Animabus Tuis,
Quæ ignis puniuntur pro delictis ſuis
Severo Judicio; & pœnis immerſæ,
Ad miſericordiam Tuam ſunt conver-
ſæ.
Abſolve has, libera propter infinita
Tua merita; ſintque illarum oblita
Peccata. Ad requiem Tuam opulentam,
Perduc propter gratiam in omnes ex-
tentam;
Ut Tuum conſpicere vultum merean-
tur:
Tibi laus & gratiæ ab iis reddantur.

Qui

Qui in Sanctâ Syndone nobis reliquisti,
De Cruce depositus, in quâ jacuisti
A Joseph reconditus; vulnerationis
Sacrata vestigia Tuæ passionis:
Concede propitius, ut per sepulturam
Tuam, Mortem; ac piam unctionis
curam:
Ad æternæ gloriam Resurrectionis
Perducamur, gaudium Tecum Unionis.

Fili, si habes, benefac tecum, & DEO dignas oblationes offer. Memor esto, quoniam mors non tardat Eccl. 12. 14.

Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Matth. 25. 13.

TESTAMENTUM
Christiani Hominis Spiritualis & Devoti Sive Præparatio ad Bonam Mortem.

Vigilare præcipis cunctis Judex Juste
In hoc fluxu temporis & vitæ angustæ;

Ob incertitudinem diei & horæ:
Mortis certitudinem non ſubjectæ moræ.
Sic eſt; carne pulvis ſum, in pulverem vertar;
Quem dediſti, ſpiritu, ſed ad Te convertar.
Moriendum itaque mihi aliquando,
Redigar in cineres, at neſcio quando.
Hoc quod vellem igitur in mortis momento
Ratum eſſe; facio jam corde intento.
Teſtamentum ſtatuo fixum, non mutandum,
Voluntatis ultimæ ſigillo firmandum.

§ I.

IN Nomine Domini. Amen. Fiat, Fiat,
Nunc & ſemper, quamdiu ſpiritus hic hiat:
Teſtamentum ultimum hoc ſpirituale
Sit invariabile, ut ſequitur, tale.
Te, DEUS, confiteor meum Creatorem,
A quo totus venio; Te Conſervatorem,
A quo totus pendeo: A Te mihi datur
Eſſe atque vivere, ut Tibi reddatur.

Ame,

A me, ex me, in me, & per me, nil ſum
ſanè,
A Te, ex Te, in Te, & per Te totum
planè;
Qui DEUS meus es, & Omnia perfectè:
Tibi cuncta cum cunctis in cunctis ſint
rectè.
Tu ſolus, confiteor, in me poteſtatem
Habes velut Dominus, & authoritatem.
Animam cum corpore, illorumque
actus,
Quod ſum, poſſum, habeo; Tibi non
coactus
Reſigno ſed liberè, lego, trado, libo:
In forma quam optimâ integrè adſcribo;
Summas agens gratias, quod rationalem
Me feceris hominem, creaturam talem,
Quæ ſimilitudinem Tuam repræſentat
In ſe; & imaginis ſpeciem oſtentat
Intellectu, memori mente, voluntate:
Liberi arbitrii plenâ facultate.
Hæc Tua ſunt omnia; á Te mî collata,
Hæc à me reciprocè Tibi mancipata
Sun-

Sunto; junctis dotibus, gratiis & donis:
Corporis & Animæ infinitis bonis.
Sum contentus singulis, uti vis, momentis,
Quando, ubi, qualiter, cum auctis talentis,
Hæc & vitam linquere; juxta voluntatis
Tuæ gustum: Gloriam simul Majestatis.
O Immensa Bonitas, quot spirituales
A Te sumpsi gratias, & quot corporales?
Sunt innumerabiles, ex benignitate
Abyssali traditæ summâ largitate.
In sinu Ecclesiæ Tu me collocâsti,
Sacro Baptismi fonte me regenerâsti;
Sacramentis variis me sanctificâsti:
Sed quod summum, veniâ peccantem donâsti.
Quantâ providentiâ me semper rexisti?
Quâ Beneficentiâ inopem juvisti?
Quâ misericordia ad Te pertraxisti:
Perditum Clementiâ quantâ quæsivisti?

Nul-

Nullo meo merito Tu me protexiſti,
Sed mero gratuito dono ſic foviſti.
Quantas Tibi ſolvere grates obligatus
Sum, tantas nunc refero : perpetim paratus
Omnes tibi reddere benedictiones
Cum creatis omnibus ; laudum actiones.
In vim gratitudinis, cùm Tibi libebit,
Pro te vitam fundere, mî ſemper placebit.
In omni reſpirio & quovis momento
Vitam Tibi offero cum voti augmento.
Tu æterni luminis Fons illuminaſti
Me ſplendore fidei ; ſpe Tuâ firmaſti.
Hanc ex corde Fidei credo veritatem,
Hanc ore confiteor ; & ſtabilitatem
In hac uſque ad mortem infractam promitto :
Subire Martyrium pro hac me ſubmitto.
O ſi mihi ſangvine liceret teſtari
Hanc fidem Catholicam ! mille cruciari

Licet pœnis deberem; nunquam abnegarem,
[Tuâ fultus gratiâ] hanc ſed prædicarem:
Deſiderans fidei ad cognitionem,
Omnes Gentes trahere; & ad unionem
Stringere Eccleſiæ, Schiſmate infectos
Vel Hæreſi: vivere in ea perfectos.

§ II.

QUod Mater Eccleſia Romana proponit,
Credendum, hoc firmiter credo; quod opponit
Omnis prava Hæreſis, vel Schiſma deteſtor:
Sic me velle vivere ac mori conteſtor.
Et ſi quid contrarium, quod abſit! ſentire,
In morte contingeret, extra mentem ire;
Irritum, invalidum, nullum manifeſto:
Id ne fiat, gratia Tua ſit mî præſto.
Hanc ſpero, hanc cupio; Tu ſpes mea, DEUS:
Unica fiducia ſolus JESUS meus.

In ipſius meritis repono ſalutem,
Meam, & omnimodam gratiæ virtutem.
Nullis meis meritis innitor aut factis;
Sed ſolius ſangvinis atque mortis pactis
JESU Chriſti Domini mei tantum fido:
Per hæc Cœlum conſequi me poſſe confido.
Poſt JESUM Sanctiſſimæ Virginis & Matris
MARIÆ refugium in tot malis atris,
Tanquam Matris gratiæ, unicum requiro:
Ut ejus mancipium, ſpe in hac reſpiro.
O ſi Magnitudinis ejus ſit tributum
Mors mea, quæ maximum eſt ſalutis ſcutum!
Per hanc coram facie Tua reperturum
Me confido gratiam: in ea manſurum,
Angelorum poſtea ad protectionem,
Et Sanctorum omnium interceſſionem
Spe recurro: maximè quos mihi Patronos
Pro agone petii, ad juvandum pronos.

Et quantumvis ſcelera totius geſtarem
Mundi, inde minime unquam deſperarem;
Ob miſericordiam Tuam infinitam:
Et gratiam Sangvine Chriſti acquiſitam.
Licet me occideres, attamen ſperarem
In Te: ſpei anchoram in JESU firmarem
Miſericordiſſimo, tantâ charitate
Nobis á Te præſtito, pro ſalutis rate.
Inde quidni mutuo Te ſtringam amore,
Qui me pravum, perfidum tam magno favore,
Intimè proſequeris? Amo Te impensè,
DEUS Amor unice; amo quàm intensè.
Amo ſuper omnia propter Temetipſum,
Velut Bonum Maximum, perdendo meipſum.
Amo ex viſceribus cordis denudati,
Cum cordibus omnium Tibi dedicati.
O utinam facere poſſem talem motum!
Quo Orbem accenderem per amorem totum;

Ut Te ſuper omnia ſolum adamaret:
Seraphim affectibus ſe Tibi dicaret.
Ex amore cuperem vitam immolare,
Ut amoris hoſtia morti me ſacrare:
Neque volo aliter, niſi ex amore
Tui DEUS, maximo mori cum fervore.

§ III.

SEd, ah! Tuo quoties Amori non ſatis
Feci, quin ſceleribus tot à me patratis
Me illi contrarium frequenter monſtravi;
Te, Immenſa Charitas, culpis irritavi.
Quàm vellem cordicitus nunquam offendiſſe
Te; nec Tua placita transgreſſum fuiſſe!
O utinam ſatius prius obiiſſem
Omni morte, quam Tibi me oppoſuiſſem!
Doleo quàm maximè, & dolere volo
Quoad vivam; amplius jam peccare nolo.
Execror, abominor, fugio, deteſtor,
Odi omne vitium: & contrà proteſtor.

Rogo Te, per viſcera Tuæ Bonitatis,
Indulge injuriis à me irrogatis;
In ſtrictum Judicium cum ſervo intrare
Noli quæſo Domine: vel me condemnare.
O ſi mille mortibus poſſem expiare!
Juxta Beneplacitum Tuum emendare
Omne malum facinus; illud transformare:
In actus heroicos virtutum mutare.
Sed cum factum fieri nequeat infectum:
Quidquid mali præſtitum, vel boni neglectum
A me; tempus perditum: vel damnum commiſſum,
In miſericordiæ jacio abyſſum.
Exoptans notitiam omnium habere,
Peccatorum calculum exactum tenere;
Ut poſſem extingvere per contritionem
Veram culpas ſingulas: & confeſſionem
Integram peragere; etiam paratus
Hanc publicè facere; neque ſum turbatus
Confundi in facie Orbis univerſi:
Ut ſic ſordes abluam, quibus me immerſi.

Opta-

Optarem me victimam dare pro peccatis,
Et pro peccatoribus corde obduratis;
Ad Te omnes homines ut converte-
rentur:
Tui unquam oculi nec offenderentur.
Agnoſco promeritum me pænas inferni,
Et dignum ſuppliciis ignis ſempiterni;
Neque pœnitentias Orbis eſſe ſatis:
Pro tantis criminibus à me perpetratis.
Ergo in plenariam ſatisfactionem
Peccatorum, ſuſcipe Sanctam Paſſio-
nem
Prædilecti Filii, effuſum cruorem
Infiniti pretii: & mortis angorem.
Reſpice in vulnera in cruce extenſi,
Reſpice in viſcera amoris immenſi;
Ob JESUM da veniam ſummo pecca-
tori:
In Tua qui gratia deſiderat mori.
Cum ipſius meritis offero Sanctorum
Et Sanctarum opera bona; Electorum
Benefacta omnia: maximè perfectas
Matris DEI Virginis virtutes ſelectas.
Eorum intuitu parce quod peccavi,
Suppleas pleniſſimè quod non com-
penſavi.

Propono corrigere totum quod commisi;
(Tu me DEUS adjuva) & quidquid omisi.
Quàm irreparabilis temporis jactura!
O si tota utinam hac lucis usurâ
Tibi quàm gratissimè semper servivissem,
Et ut Sancti homines, perfectè vixissem!
Ergo jam inposterum, si ad finem mundi
Tuo beneplacito temporis profundi
Limites attingere in vita deberem,
Tibi perfectissimum cultum exhiberem.
Suscipe præteriti si quid fuit boni
Et meriti, gratiâ Tui factum doni;
(Nam sufficientla mea omnis ex Te:)
Hoc cum JESU meritis offero intextè.
Ecquid boni facere miser potuissem
Sine Te summo Bono? Ex me deliquissem
Semper, nisi Tua gratia me levâsset:
In Inferno anima pridem habitâsset.
Sic ex Te omne bonum, ex me malum totum,
Per Te omne meritum; quod ne perdam votum Me-

Meum eſt, ut lateat, & nulli ſit notum:
Tibi ſoli cognitum ſit atq́ue devotum.

§ IV.

ET quia dimittere ex corde offenſas
Jubes debitoribus; quaſcunq́ue præ-
tenſas
Dimitto cordicitus, omnibus condo-
no:
Illis benefacere libenter propono.
Oro flexis genibus. Da pro læſione
Ipſis bona omnia; pro detractione
Bonum nomen, odium compenſa a-
more
Tuo: & infamiam commuta honore.
Fratres mei utiq́ue ſunt, ſi oporteret
Me pro ipſis fundere vitam, mî liberet;
Quin offenſas reputo mihi pro favore:
Ut his tuas diluam ex pœnæ rigore.
Quos autem reciprocè quandoq́ue of-
fendi,
Sive quibus ſcandalum aliquod oſtendi;
Vel quibus occaſio eſſe delinquendi
Potui, vel aliquod malum peragendi:
Ab iis humillimè veniam imploro,
Ut omne mî debitum dimittant, exoro.

Nullum unquam volui male judicare;
Nec coram Judicio Tuo fac me ſtare.
Nullatenus cogito ullum condemnare,
Sed pejorem omnibus mem etæſtimare.
Ut queam clementiam à Te impetrare,
Viciſſim petentibus me vellem donare.
Cum verò elegeris hìc crucem geſtare
JESUM toto tempore, crucem exaltare
In ſe ipſo; hanc cupio, capio amanter:
Hanc portare geſtio ad mortem conſtanter.
Huîc affixus vivere, & perſeverare
In hac ſemper ſtatuo, ac morti litare;
Qualem me volueris crucem bajulare:
Hanc è tuis manibus volo acceptare.
Ut ſic fiam particeps crucis, & pænarum
JESU Dilectiſſimi pro me perpeſſarum;
Crucifixo uniens corpus crucifixum:
Jungens ejus animæ ſpiritum affixum.
Hinc me Tuo placito in cunctis reſigno,
Tuæ me vel minimo voluntatis ſigno
Trado integerrime; nutibus parendo:
Voluntatem propriam plenè extingvendo.

Nec

Nec mortem ſuſcipio ex neceſſitate.
Sed obedientiæ puræ libertate;
Ut Tuo imperio ſatisfiat per me,
De me, in me, circa me, velut vas inerme.
Relinquo ſpontaneè totum quod habere
Cenſeor, vel titulo quovis poſſidere.
Quantumlibet honores mundi, dignitates,
Theſauros, divitias, omnes facultates
Tenerem; deſererem lubens ex amore
Tui cuncta: pro Tuæ gratiæ favore.
Nudum matris uterus in mundum me fudit,
Nudum in ſarcophagum me mors nuda trudit.
Sic in vera perdere vitam paupertate
Volo, nam ſubſtantia mea omnis à Te
Et in Te eſt, mi DEUS; neque ſepulturam
Credo mihi debitam, aut corporis curam:
Sed pro elêmoſynâ dari hanc requiro
Miſero corpuſculo, in quo quoad ſpiro;
Quocunque obſequium ipſi offeretur
Ex miſericordiâ: illud haud meretur.

Omnibus deliciis eligo privari
Vitiosi corporis, & mundi amari;
Ut taliter suppleam in quibus excessi:
Legis sacræ semitas non exactè pressi.
Ab omnibus abstraho me rebus creatis,
Nec ulli adhæreo ex cunctis amatis.
Tibi soli unicè expeto uniri,
Unione perpetim hac Tuâ potiri.
Inde lubens desero hanc conjunctionem
Vilis mei corporis, ad surrectionem
Ultimam; renuncio illi mea spontè:
A multorum scelerum ut abscedam fonte.
Abrenunciatio hæc rerum cunctarum
Ipsiusve corporis, locò spongiarum
Sit; quibus abstergere possim tot errata:
Et per illa sæpius, & cum illis nata.

§ V.

UNicum desidero, ut Communione
Viatici muniar, atque unctione;
Priùs Pœnitentiâ optimè purgatus:
His ad bonum ultimum agonem armatus.
Necnon indulgentias mihi applicari,
In mortis articulo plenariam dari

Ex animo voveo; ad Tibi placendum:
Et Tuæ Justitiæ satisfaciendum.
Et quamvis non merear, ut pro me oretur,
Quin ut universitas me abominetur
Dignus: Ptovidentiæ tamen Tuæ fido,
Et Fratrum suppetiis, pietatis nido.
Hinc cuncta suffragia pro me absolvenda,
Jam nunc Tibi offero, Tuæ exhibenda
Bonitati; animæ meæ profutura:
Quæ solius gratiæ Tuæ dabit cura.
Hæc exposco unicè, ut Orationes,
Missæ sacrificia, & Largitiones,
Et Agapes pauperum; ac Jejuniorum
Pro me fiant opera quorumvis bonorum.
Quàm fieri particeps vellem tunc cunctorum
Orbis suffragiorum, unquam futurorum
Ad diem Judicii! ut in cunctis aris
Pro me Mystæ munera offerant altaris.
Si tentationibus premar insperatis,
Spe vivendi longius, infidelitatis,

Nimiæ fiduciæ, desperationis,
Vel quibusvis aliis, extra rationis
Usum: hisce omnibus resistere volo
Omninò; nec dæmonis consentire dolo:
Cruce Christi muniens me ac passione,
MARIÆ, ac Divorum intercessione.
Tu DEUS suppedita mihi protunc arma,
Adsit sacræ fidei inconcussa parma;
Sit ex spe firmissima galea salutis:
Ex amore intimo lorica virtutis.
Quemadmodum obligor nunc desiderare
Semper cæli gloriam; tecum habitare;
Sic nil volo aliud moriens spirare:
Præterquam ut Te fruar, totus anhelare.
Demùm omnes aveo fines adimplere
Morte meâ, gloria Tua quos habere
Potest major; maximas ac intentiones
Quas quis unquam habuit, & oblationes.
Meâ morte cuperem mortem efformare
JESU, & DEIparæ in me præsentare:
Et cunctorum Martyrum, atque Beatorum
In finali gratia Tua mortuorum.

Hanc

Hanc supplex & cernuus quæso mihi
dari,
Efficaci Gratiâ ad hanc præparari.
Tu dixisti; Petite & accipietis:
Monuisti; Quærite & invenietis.
Nil quæro nisi Tuo ut vivam Amori,
Et moriar, hoc peto; fac me bene mori.
Ac veluti omnium requiro juvamen,
In mortis novissima hora: & leva-
men:
Sic intendo omnium gloriæ sacrari,
Honori & commodo cunctorum litari
Per mortem; ut perpetim vivamus in
vita,
Quæ Tu DEUS meus es, unicè quæsita.
Tu vivorum DEUS es, & non mortuorum,
Cui vivunt omnia. O Vita sanctorum
A prima & secunda morte me defende,
Fontem vitæ Faciem Tuam mî ostende.
Ergo ne perpetuâ dispeream morte,
Moriar quotidie; temporali sorte,
Privatus, nec moriar morte Peccato-
rum:
Moriatur anima sed morte Justorum.
Mihi ipsi moriar, moriar creatis,
Ne æternum moriar miser cum da-
mnatis,
Non

Non moriar ſed vivam, & facta narrabo?
Et miſericordiam tuam exaltabo.
Tu O ſumma DEITAS hocce Teſtamentum
Clementer ratifica; ſitque Monumentum
Nunquam revocabile meæ voluntatis:
Holocauſtum infimum Tuæ Majeſtatis.

§ VI.

O Quàm Tabernacula Tua ſunt dilecta!
O virtutum Domine DEUS! quam electa
Sunt atria! anima mea concupiſcit,
Et deficit, quamdiu in carne dehiſcit.
Quin cor & caro mea in Te DEUM vivum
Exultaverunt, velut omnis boni rivum.
Quàm Tua altaria ſpirant Thymiama!
Quàm concinunt Spiritus ſuave acroama!
Quàm Tuæ dulcedinis magna multitudo!
Quàm ſpeciei Tuæ ſumma pulchritudo!

Quàm Tuæ Præſentiæ gracilis conta-
ctus!
Quàm Tuæ Eſſentiæ nexus eſt inta-
ctus!
Beati qui in domo Tua habitabunt,
In æterna ſecula Te Sanctum lauda-
bunt.
Melior in atriis Tuis una dies
Quàm mille. Sim abjectus in his, ubi
quies.
Veluti deſiderat ad fontes aquarum
Cervus, ſic deſiderans influxum Tua-
rum
Dulcedinum, mi DEUS, anima ſitivit
Mea Te Fontem vivum; à ſe in Te
ivit:
Dicens. Quando veniam? quando ap-
parebo
Ante DEI faciem? & quando videbo
Salutare Domini? Interim fuerunt
Mihi panes lachrymæ; & cor impleve-
runt:
Dum petor quotidie. Ubi DEUS Tuus.
(Ibi cor ſanè, ubi theſaurus eſt ſuus)
De Te DEI Civitas dicta glorioſa,
Lætantium omnium manſio formoſa.

In voce lætitiæ ſonus epulantis
Se immensâ Gloriâ DEI ſatiantis.
Hìc fluminis impetus lætificat cives:
Videtur in lumine DEI Lumen dives.
Quare triſtis anima mea es, & quare
Conturbas me, jaciens in mæroris mare?
Spera in DEO; adhuc illi confitebor.
In Te ſpero Domine; nec à Te arcebor.
Educes de laqueo, vincula dirumpes;
Et ex hujus corpore mortis me abrumpes.
Tibi laudis hoſtiam tùm ſacrificabo;
Nomen Tuum Domine, SANCTUS, decantabo.
O JESU Dulciſſime agoni ſupremo
Tuo, meum dedico agonem; poſtremo
Hoc in puncto exitûs ſpiritum commendo
Meum in Patris manus: ad has tecum tendo.
JESU Nazarene Rex Judæorum Vere,
Sis mihi tunc propitius, mei miſerere;

Miſerere Domine ſuper peccatore:
Qui veniam flagitat à Te cum dolore.
Ut Joſeph piiſſimi morti aſtitiſti,
In Paradiſum uti Latronem duxiſti;
Ut Matrem in Gloriam Tuam aſſumpſiſti:
Conſtantem ut Stephanum ſtans promtè juviſti,
Ut è Sanctis aliquem inde decedentem
Protexiſti fortiter, ad Te venientem:
Sic in morte protegas me ac tuearis,
Sinu Tuo animam meam complectaris.
Concede vel unicam guttam ex ſudore
Agoniæ; minimam ex ſacro cruore
In illa anguſtiâ per mortem inductâ:
Animæ & corporis terribili luctâ.
Offer ſacrificium Patri ſummè gratum
Teipſum pro omnibus culpis deſtinatum.
Triſtis Tuæ animæ ſuſpirium unum
In morte ſolatium mihi opportunum.
Libera me Domine in illa tremendâ
Mortis horâ, omnibus verè metuendâ
A morte perpetua: quando judicare
Me venies dic: Veni Benedicte, Chare.

Millies desidero Te mi JESU Christe,
Quando quando venies? ut spiritus iste
Meus in Te transeat; Tecum sit perrennis:
Quando lætum faciet facies solennis
Tua. O Redemptio mea copiosa!
In conspectu Tuo sit mea pretiosa
Mors. Tua Te pietas cogat superare
Mala mea, compotem me voti creare,
Ut me de Te saties. Veni JESU veni,
Affulge cum gloriæ & gaudii pleni
Superabundantiâ; sub tempus extremum:
Veni Domine JESU. Hoc verbum supremum.
O Misericordiæ Mater Virgo pia
Cum Joseph sponso Tuo succurre MARIA
Evolanti Animæ; ne Orci latrones
Illam perdant, rapiant ad ignem prædones.
Oro per potentiam à Patre collatam
Tibi, sapientiam à Filio datam;
Et amoris gratiam à Spiritu satam:
Conforta, illumina, accende orbatam.

DEI Patris Filia & Regina Poli,
Mater DEI Filii me linquere noli;
Sponſa Sancti Spiritus me defende reum:
Trinitatis Gloria da mihi trophæum.
O Candidum Lilium ſummæ Deitatis,
Roſa rubens cælicæ Tu amænitatis:
Rex Cœlorum voluit de quâ JESUS naſci,
Et lacte puriſſimo Virgineo paſci.
Tu influxionibus animam Divinis
Paſce; quando veniet hujus vitæ finis.
Hanc ab hoſte protege, ſuſcipe in hora
Mortis, quæ Juſtitiæ Solis es Aurora.
Joſeph ſponſe Virginis Magnæ DEI Matris
Et Chriſti Nutritie, verè inſtar Patris;
Fac, ut participium experiar mortis
Tuæ: patrocinium auxilii fortis.

§ VII.

MIchael Archangele Baptiſmi Patrone,
Atque Cuſtos Angele in mortis agone,
Servate, ne peream. Joachim & Anna
Facite, ut concinam vobiſcum Hoſanna.

O Præcurſor Domini Joannes Baptiſta
Me confirma gratiâ procellà in iſtâ:
Et Joannes Domini dilecte conſiſtens
Juxta crucem, obitûs mei ſis aſſiſtens.
Petre cœli Claviger, Paule glorioſe,
Joſephe, Nicodeme, Diſma generoſe,
Longine cum aliis Matronis devotis
Ad ſepulchrum Domini; ſtate meis votis.
Prîmitiæ Martyrum teneri infantes,
Primitiæ gentium tres Reges conſtantes;
Apoſtoli Domini, Diſcipuli cuncti:
Aſſeclæ Chriſti ſitis protunc mihi juncti.
Patriarchæ Ordinis Sancti Benedicte,
Et Bernarde agite; ut pergam invictè.
Magne victor dæmonum Antoni Athleta
Impetra victoriam coronâ impletâ.
Eremita Onufri, Sanctæ Trinitatis
Virtute Myſterii me junge Beatis.
Antoni de Padva Ingens Thaumaturge,
Ut hoſtes non noceant, Tuâ prece urge.

Fran-

Franciſce, Iſidore, Thoma, Caſimire,
Stanislae, poſcite ne ſim natus iræ.
O Amatrix Domini Diva Magdalena
Ut ſatis pœniteam, fac, in mortis ſcena.
Catharina, Barbara, Urſula Beata,
Cum Tuarum Virginum præſentiâ gratâ;
Chriſtina, Cæcilia, Agnes, Juliana:
Margareta, Agatha, Franciſca Romana,
Lucia, Dorothea, Mechtildis, Lutgardis;
Brigitta, Scholaſtica, Gertrudis, Hildgardis:
Omnes vos in exitu vitæ advenite,
Cum Electis omnibus ope ſubvenite.
Qui maximè gravius mortem pertuliſtis,
Quos DEUS potiſſimùm extulit ex iſtis
Periclis: vos quindecim Auxiliatores
Sitis in hoc tranſitu mortis adiutores.
Vos Patroni reliqui quos mihi elegi,
Quorum patrocinio volo ſemper regi;
Vos Cœleſtes ſpiritus Angelorum Chori:
Veloces accurrite dum continget mori.
Omnes ſancti Incolæ patriæ cœleſtis,
Qui Divinæ gloriæ Spectatores eſtis;

O ſi Terra debito vos tractaret cultu!
Tunc mihi aſſiſtite cum ſereno vultu.
Ut à mortis vinculis ſanctè abſolutus,
Ad Divinos veniam vobiſcum obtutus;
In æternis gaudiis Amoris manſurus:
Ubi nunquam moriar ſed vivam ſecurus.
Quodſi Purgatorio igne expiabo
Pœnas, pœnitentiæ fructus conſummabo;
In illis ardoribus me refrigerate:
Ut ocyus liberer operam navate.
Et ut protunc citius valeam potiri
Ope, nunc Purgantibus volo impertiri
Omne meum meritum; illo me privando
Ex Amore, ut Tu vis, DEUS applicando
Ipſis. Tua Bonitas ſupplebit defectum
Meum, ac perficiet omne imperfectum;
Summum JESU meritum tollet pravitatem:
Charitas operiet omnem nuditatem.

CON-

CONCLUSIO.

O Redemptor unice! Ego mortis eſus
Nomen Tuum invoco: Eſto mihi JESUS,
Salvator & ſalva me. JESUS ſemper dicam,
Nomen Auguſtiſſimum ſemper benedicam.
Hocce ſalutiferum Tuum JESU nomen,
Verbum meum ultimum ſit ſalutis omen:
Quo actus præteritos omnes renovare
Volo; infinities plures replicare,
Cordis plenirudine & integritate;
Cum affectûs cordium omnis potestate:
Ex amore intimo quoſuis includendo
Actus, & poſſibiles virtutum nectendo.
Ut ex meo nihilo indigno, ingrato,
Tanta fiat Gloria Divino palato
In vita & in morte; quantam immolare
Poteſt univerſitas: DEUS poſtulare.
Amen in præſentia Curiæ Cœleſtis,
Et omnis Creaturæ ad hunc Actum teſtis;

Testamentum conditum manu meâ signo:
Sacræ Crucis Literâ Thau totum obsigno.
Crux Christi est tessera vitæ generalis,
CruxChristi me liberet ab omnibus malis;
Et à subitanea omni mala morte:
Ut vivus constituar in Beatâ sorte.
N. N. maximus Peccator;
Inter omnes minimus DEI exorator;
Omnium vilissimus quin creaturarum:
Perire dignus omni genere pænarum.

Testamentum Breve Confirmans Præcedens

QUotidie morior 1. Cor. 15. 31.

OMnem credo diem mihi diluxisse supremum.

APprobo, ratifico meum Testamentum
In omnibus partib⁹,meæ munimentum
Mortis; illud renovans quolibet momento;
Mi dicens: Nunc incipe, nunc mori memento.

DUO-

DUODECIM SIGNA

Divinæ Prædestinationis ad vitam Æternam

QUicunque desiderat cum Prædesti-
natis
Esse DEI Electis, & Præordinatis
Ad vitam æternam; in his speculetur
Signis securissimam hanc viam sectetur
Primum Signum, Interna lux illuminatrix
Animæ, ut videat, quanta sit peccatrix,
In tot maleficiis suam pravitatem;
In tot beneficiis DEI Bonitatem:
Brevitatem labilis vitæ, vanitatem
Mundi, ejusque pompæ nihileitatem,
Voluptatum stercora. Inde aversari
Larvam mundi incipit, carnem dete-
stari.
Tædet ipsam vivere in hac lachrymarum
Valle, malorum nido, & miseriarum.
Sic ad Cœlum dirigit cogitationes
Omnes, desideria, verba, actiones.
In hac luce ambulans internâ anhelat
Ad Divinam faciem; quod votis re-
velat.

Dicens. Mea anima mi DEUS sitivit
Ad Te Fontem vitalem; Te semper
ambivit.

Secundum est, dicere vale cunctis rebus
Et privare animam mundi speciebus;
Ipsi abrenuncians, & sibi constanter:
Solum in corde gerens DEUM peramanter.

Tertium est seria mortis, & matura
Semper meditatio; solers quoq́; cura,
Ad illam realiter sese præparandi:
Qualem DEUS dederit, talem acceptandi.

Quartum est, Continuus dolor de peccatis,
Non hærere amplius in iis patratis;
Firmare propositum vitam corrigendi:
Voluntatem propriam cum culpâ tollendi,
Et affectus perditos iræ moderandi,
Et concupiscentias plenè extirpandi:
Pravam consuetudinem & tentationis
Malos motus vincendi ductu rationis.

Quintum Exercitium se mortificandi
Cruce patientiæ; lætè hanc portandi

Cum

Cum pœnis quibuslibet: tam adversitates
Sustinendi fortiter, quám anxietates.
Sextum, quando nihilum se esse fatetur
Nil scire, nil habere & nil posse retur,
Quidquid Boni reperit DEO tribuendo,
Quidquid mali exerit, sibi adsciscendo.
Septimum, Cum Proximi verè miseretur,
Benefacit omnibus, & cunctos tuetur;
Nullum male judicat; dat & dispertitur
Lubens elêmosynam, petenti largitur.
Octavò benefacit his qui se oderunt,
Inimicos diligit, his qui deliquerunt
Adversùm se graviter, optimè precatur:
Pro se persequentibus DEUM deprecatur.
Nonum est Auditio diligens & frequens
Verbi DEI; illius impletio sequens;
Solers meditatio DEI mandatorum:
Atque conformatio juxta illa morum.
Decimum Frequens usus est Sacramentorum,
Ac primùm Confessio plena peccatorum;

Dein-

Deinde Communio in receptione
Sacræ Eucharistiæ; DEI unione.
Vndecimum Intimus summi Boni DEI
Amor super omnia: consecrata ei
Voluntas, ad libitum ex corde parata,
Ejus beneplacito semper resignata.
Signum Duodecimum, MARIÆ devota,
Mens, ad honorem ejus dedicata tota;
Defensa Conceptio â culpâ intacta:
Ejus Nati Passio mente semper acta.
Quicunque sentit in se aliquid signorum
Ex his, & affectuum ab iis ductorum:
Potest spem concipere salutis æternæ,
Et beatitudinis cum DEO supernæ.
Da DEUS Misericors plenam voluntatem
Ad hæc signa habeam; firmam facultatem;
Fac per Tuam Gratiam sim prædestinatus,
Inter Tuos Electos à Te nominatus.

CONCLUSIO
Partis Secundæ.

HIc Actus expoſiti ſunt Devotionis
Ad DEUM & Cælites, ac Oratio-
nis.
Hìc modus propoſitus eſt ſubveniendi
In agone poſitis, opem exhibendi
Animabus in viâ cæli conſtitutis;
Providendi animæ propriæ ſalutis
Finem: per diſpoſitum mortis Teſta-
mentum,
Prædeſtinationis clarum argumentum.
Sic in hoc Compendio cernis quid agen-
dum,
Sit ſpiritualiter; quidnam exercendum
Sit devotè: qualiter brevi viâ itur
Ad DEUM, ac beatâ vitâ quis poti-
tur.
Ergo qui ſalutis es tuæ ſtudioſus,
In terendâ ſemitâ hac ſis curioſus.
DEO vive ſpiritu; ac devote ora:
Hinc fruêris gloriâ DEI abſque morâ.

VIA COM-PENDIOSISSIMA ET CONSUMMA-TISSIMA

Ad perfectionem ac Beatitudinem, per conformitatem Voluntatis Humanæ cum Divinâ.

STetis perfecti & pleni in omni voluntate DEI Col. 4. 12.

Ut probetis quæ sit voluntas DEI bona beneplacens & perfecta. Rom. 12. 2.

Vita in voluntate ejus Ps. 29. 6.

SUmma est perfectio & Beatitudo,
Cùm ea voluntatis nostræ habitudo
Est, atque conformitas; ut idem velimus
Cum DEI voluntate, & idem nolimus.
Primùm quidem Divina Voluntas censetur
Esse Signi; quæ scriptâ in Lege habetur.

Hic

Hic Mandata edita à cunctis ſervanda;
Hic multa prohibita ſemper pro pulſanda.
Signatum eſt igitur, verbo DEI totum
Quidquid opus agere; & quod non ad votum
DEI eſt, nec licitum unquam perpetrare:
Ad hæc debet animus ſemper vigilare.
Ut in cunctis conſulat DEI voluntatem,
Num ſit DEO placitum; utrum facultatem
Hoc agendi dederit: num ſit ei gratum
Id cogitatum; dictum, vel factum probatum.
Quidquid ex ſcientiâ debitâ penſabit,
Prout conſcientia tenera dictabit;
Sic agat, ut habeat in cunctis placendi
DEO finem; præcepta ejus exequendi.
Eſt Voluntas altera Diſpoſitionis
DEI, Beneplaciti Ordinationis.
Inde quidquid evenit, certò cogitandum
A DEO accidere id, & acceptandum.
Nullum tale malum eſt, excepto peccato
Quod non DEUS fecerit; unde non ingrato

Cor-

Corde ſed benevolo, ut de manu DEI
Sunt captanda omnia, adplacendum ei.
Quod vult DEUS, Agere; quod vult DE-
US, Pati:
Eſt perfecti animi & verè beati,
Divino in omnibus velle conformari;
Nec ab ipſo proprio velle ſeparari;
Quin conjunctum vivere DEO inceſſan-
ter:
In quibusvis caſibus arctè ac conſtan-
ter
Sequi DEUM. Ergo id volo quod vult
DEUS,
Idem nolo quod non vult: Hic eſt fi-
nis meus.

FÆDUS ÆTERNUM

Humanæ Voluntatis cum Divinâ.

VOluntas Tua DEUS mi, per quam
creata
Et propter quam omnia ſunt præordi-
nata,
Eſt primum Principium à quo, quod
ſum, totum,
Et quod poſſum habeo; Eſt ultimi vo-
tum Finis,

Finis, ad quem debeo recte collimare:
Eſt Beatitudinis centrum, in quo ſtare
Tutè ac feliciter queo, atque lætè
Commorari valeo in omni quiete.
Hujus ductum ſi ſequor, omne malum pello;
Paſſiones edomo: in bono excello.
Illius ſi exequor unicè mandatum,
Omne tollo vitium; virtutumque ſtatum
Adipiſcor omnium: necnon rationem
Omnis legis impleo ac perfectionem.
Hanc proinde cernuus veneror, adoro:
Summam orbis Rectricem credo & honoro.
Hanc colo, glorifico, laudo, benedico;
Super cuncta æſtimo: huic me addico.
Pro ejus regimine ſacro in quibusvis
Adverſis & proſperis caſusve cujusvis
Rebus Tibi gratias ago infinitas,
DEUS meus, ac laudes reddo exquiſitas.
In hac omnem meam ſpem & felicitatem
Repono firmiſſimé, ac tranquillitatem.

Hæc tota fiducia in occaſione,
Quâvis mea; maximè mortis in agone.
Huic me nunc pro ſemper totum plenè dono,
Dedico & conſecro; in manus depono:
Trado in mancipium perpetim captivum
Cum univerſitate Tibi ſemper vivum.
O verè Suaviſſima ſemper adoranda,
DEI mei Voluntas unicè amanda!
Cûi ſervire, dignitas; vita, cûi placere;
Suprema felicitas, cui adhærere.
Optionem liberè faciens ſolennem
Hanc in meam eligo Dominam perennem.
Ipſi me devoveo, omnem libertatem
Meam, & ſubſtantiam; atque facultatem.
Illius decretis & diſpoſitioni
Me plenè ſubjicio, ac directioni
Conſigno & immolo; animitus gaudens
Et Tibi ô Maxima Bonitas! congaudens
Hoc, quod à ſpiritibus in cœlo Beatis
Et in terra à Rectis corde Tibi gratis
Velle

Velle Tuum integrè ſic perficiatur:
Ut ad Tuum libitum quidlibet agatur.
Jam verò compatior condolens quod prava
Damnatorum, dæmonum, voluntas ignava
Juxtà ac peccantium, Tuæ voluntati
Repugnet ſanctiſſimæ atque bonitati.
Quod tamen nullatenus reſiſtere queat
Ejuſdem Juſtitiæ; ex quâ pœna meat,
Nullaque effugere averſa finalem
Creatura valeat, ſibique fatalem
Effectum potentiæ: cordicitus lætor
Tibique congaudeo; ſic mæſtus quietor.
Meam porrò propriam malam voluntatem
Voluntati optimæ Tuæ per ætatem
Tantam frequentiſſimè fuiſſe adverſam,
Ah! triſtor & doleo graviter perverſam.
Sed jam abhinc ſtatuo omnia præcepta
Voluntatis optimæ Tuæ, quàm accepta!
Exequi pleniſſimè tàm in actione,
Cum Tuo auxilio, quàm in paſſione.

Propono firmissime realem effectum
illorum, præcavere promitto defe-
ctum
Hinc odi, abominor, fugio; detestor
Peccatorum omnium culpas, quêis in-
festor.
Et quidquid justissimæ Tuæ displicere
Voluntati novero, prætendo arcere.
Propter hanc me abnego, pravæ vo-
luntati
Meæ abrenuncio & iniquitati:
Optoque ex animo ut Tua non mea
In me regnet voluntas Majestatis rea.
In omni complaceo mihi voluntatis
Tuæ beneplacito, tùm adversitatis
Etiam cujuslibet ordinatione:
Conquiesco ipsâ in tribulatione.
Quin sum ita nutui Tuo resignatus
O Amor mi! si sic velis; ut quoque
paratus
Sim damnari; dummodo Tuam volun-
tatem
Sequar, nec contrarium per æternita-
tem
Quidquam ipsi faciam: cûi soli placere
Intendo, desidero cui inhærere,

Ad ſolum guſtum ejus, licet meum nullum,
Commodum proveniat, nec præmium ullum.
Nam Te ſuper omnia propter Temetipſum,
O inæſtimabile Bonum! & meipſum
Annihilans, diligo meo Eſſe toto
Et Poſſe cum omnium affectuum voto:
Tuamque Voluntatem unicè complector,
Amo & exoſculor, in eâ delector,
Quæ Tibi identica, illique uniri
Conformari intimè, ab eâ igniri
Seraphicè flagito; atque concupiſco
In ipsâ conſummari: totus ad hoc hiſco.
O utinam facere poſſem voluntatem
Tuam! ſicut Filius Tuus poteſtatem,
Hanc implendi habuit, velut JESU Mater,
Et prout omnes Sancti: ſicut Tu vis Pater.
Quàm cuperem ſi poſſem, O Summe Creator!
Inducere, pariter hominum Salvator

Omnem rationalem ad hoc creaturam;
Illi obediendi ut haberet curam
Sic, ut hûic obtemperat irrationalis
Creatura quælibet promptiſſimis alis.
Hûic me cum omnibus Cultoribus veris
Ipſius regiminis famulis ſinceris
Maxime in Fœdere hoc devotionis
Comprehenſis, infimæ ac ſubjectionis,
Commendo plenariè; reſigno, committo:
Unitive implico, immergo, demitto.
Ut ſicut Tu Unitas Trina in Te unum
Es, ſic & conſummati nos Tecum in unum
Simus; velut à mari gutta abſorbetur:
Atomus à radiis ſolis poſſidetur.
Per hanc Te, ô mi DEUS! obteſtor, nos doce
Voluntatem facere Tuam corde, voce,
Opere: in hac da perſeverantem
Famulatum, per ductum jugiter conſtantem.
Trahe nos poſt Te ſemper, ſimus ex amore
Fideles obſequio ejus cum fervore:

Ut

Ut secundũ cor Tuũ simus instrumenta
Tui beneplaciti, apud Te jumenta.
Oro fiat denique per nos & de nobis,
Semper perfectissimè circa nos, in nobis,
Fiat & in omnibus ad nutum supernum,
Fiat super omnia nunc & in æternum
Mi DEUS & Omnia, Tua præelecta
Voluntas. Hæc imperet Domina dilecta,
Toti orbi, unico Laudis argumento,
Maximo & Gloriæ Tuæ incremento
Fiat in holocaustum integrum Amoris,
Et totale tributum majoris Honoris
Majestati debitum Tuæ à facturâ
Tuæ voluntatis, ac omni creaturâ.
Suscipe cum actibus cunctis Tibi gratis,
Ex affectu totius universitatis;
Per cor JESU Domini & Virginis Matris:
Hoc in Sancto Spiritu eat in cor Patris.

AFFECTUS TRANS-FORMATIVI

In Divinam Voluntatem.

O Adoranda & Amanda DEI Voluntas!

AGnoſcam Te, Intelligam Te, Memorem Te, Diligam Te, Deſiderem Te, Concupiſcam Te, Laudem Te, Benedicam Te, Prædicem Te, Exaltem Te, Glorificem Te, Magnificem Te, Superexaltem Te Tibi ſoli propter Te.

O Digniſſima & Sanctiſſima DEI Voluntas!

SErviam Tibi, vivam Tibi, vivam in Te, Vivam de Te, vivam per Te, vivam Te, Immergar in Te, Immigrem in Te, Transeam totus in Te, Inhæream Tibi, Transformer â Te, Abſorbear â Te, Paſcar Te, Reficiar & inebrier Te, Delecter in Te, Quieſcam in Te, Impingver â Te, Per-

Perſeverem in Te, Immoriar Tibi,
Sepeliar in Te, Tibi ſoli propter Te.

O Fortiſſima & Potentiſſima
DEI Voluntas!

AFfice me, Vivifica me,
Illumina me, Accende me,
Confirma me, Corrobora me,
Inſtrue me, Guberna me,
Rege & dirige me, Duc & deduc me,
Purifica me, Juſtifica me,
Fortifica me, Lætifica me,
Sanctifica me, Glorifica me,
Habe me totum Tibi, Poſſide me,
Dominare mihi, Impera mihi,
Hæredita me Tibi ſoli propter Te.

O Perfectiſſima & Efficaciſſima
DEI Voluntas!

ME plaſma, Me age, Me forma,
Me reforma, Me informa, Me trans-
forma in Te,
Me annihila in Te, Tibi ſoli propter Te.

O Re-

O Rectiſſima & Sapientiſſima DEI Voluntas!

MOvear â Te, Impellar â Te, Agar â Te, Patiar â Te, Cogar â Te, Trahar â Te, Tenear â Te, Fingar, effingar, refingar â Te, Vincar â Te, Comprehendar â Te, Conſtringar â Te, Captiver â Te, Penetrer â Te, Sigiller â Te, Conſigner â Te, Abſcondar â Te, Abſorbear, hauriar, conſumar â Te, Convertar in Te Tibi ſoli propter Te.

O Dulciſſima & Suaviſſima DEI Voluntas!

IN Te tota mens mea, totum cor meum, tota anima mea, tota virtus mea.

In Te Omnis Spiritus meus, Omnis ſcientia mea, Omne ſtudium meum, Omnes vires meæ,

In Te Omnes ſenſus mei, Omnes motus mei, Omnes potentiæ meæ,

In Te Omnes cogitationes meæ, Omnes affectiones meæ, Omnes actiones meæ,

In Te Omnes habitudines meæ, Omnes attentiones meæ, Omnes intentiones meæ,

In Te Omnes intellectiones meæ, Omnes volitiones meæ, Omnes memorationes meæ,

In Te Omnes imaginationes meæ, Omnes concupiſcentiæ meæ, Omnes intenſiones meæ,

In Te Omnia conſilia mea, Omnia judicia mea, Omnia ingenia mea,

In Te Omnia propoſita mea, Omnia ſuſpiria mea, Omnia deſideria mea,

In Te Omnis capacitas mea, Omnis ſubſtantia mea, Omnes circumſtantiæ meæ,

In Te Omnes atomi mei, & quidquid in me, circa me, â me, per me, de me, Totus quantus quantus ſum, & totum quantum poſſum,

In Te Omnia mea tendant, habitent, occupentur, delectentur, perſeverent,

In omnem vitam, In omnem finem, In omnem æternitatem, In omnem poſſibilitatem,

In omnem obedientiam & ſubjectionem, Tibi ſoli propter Te.

O Pre-

O Pretiosissima, Amabilissima, Deliciosissima DEI Mei Voluntas, Domina mea Optima Maxima, Unica & singularis!

ABstrahe me ab omnibus & à meipso & intrahe me Tibi soli,
Vindica me Tibi, Assume me Tibi, Devove me Tibi, Vendica me Tibi,
Obliga me Tibi, Devince me Tibi, Innecte me Tibi, Implecte me Tibi, & implica, Conforma me Tibi.
Mane in me, ut maneam in Te ac Tecùm. Occupa me, Habita in me,
Uni, liga, conjunge, absume, identifica, me Tibi soli propter Te.
Fac & redde me Tibi servum, Accipe, me Tibi clientem,
Rape me Tibi mancipium subjectum Tibi, unitum Tibi,
Unum Tecum, Idem Tecum,
Tibi soli propter Te,
Nunc & in æternum & ultra.

ADDITAMENTUM
Pro Hominibus Religiosis.

QUam angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. Matth. 7. 14.
Pauci verò Electi: Matth. 20. 16.

NOVEM BONA STATUS RELIGIOSI à S. Bernardo descripta.

STatus Religiosus, quas felicitates,
Et quæ Bona habeat, ac securitates
Salutis; quam semitam ad DEUM directam:
Sciunt ducentes vitam in eo perfectam.
Ecquis melius posset hujus declarare
Statûs Bona, quàm Sanctus Bernardus narrare?
Ille novem numerat in Religione
Bona, quêis mundus caret certâ ratione
Primum quòd vitam ducat Homo puriorem,
Intentionem habens actu firmiorem;

Ad

Ad Divinam Gloriam & ſuam ſalutem
Totam mentem dirigens, & omnem
virtutem.
Dum voluptates vincit voto Caſtitatis,
Ac Obedientiæ motus voluntatis
Propriæ; divitias ſpernit Paupertate:
Purioris animi gaudet facultate.
Secundum, quod rariùs cadat in peccatum:
Mundi offendiculum nam ei ſublatum,
Ad excedendum nullæ ſunt occaſio-
nes,
Nec ullius ſcandali ſuffert paſſiones.
Deſunt mille laquei dæmonis, cauſantes
Lapſum culpæ facilem, in mundo re-
gnantes.
Habet adjutorium à ſuis Prælatis
Atque Confeſſariis, ne cadat, paratis.
Tertium, Velocius quod ex caſu ſurgat,
Dum ob fragilitatis pudorem ſe pur-
gat.
Ex fervore ſpiritus, firmans ſe Piorum
Exemplis, & lumine ductus Doctio-
rum.
Et cum ordinariè tantum veniales
Lapſus ſint, his facilè ſolvitur per ta-
les

Aotus

Actus pœnitentiæ, qui dantur, frequentes
Tunsiones pectoris: gemitus ardentes.
Quartum est quod citius à culpis purgetur:
Cum per conscientiæ examen servetur
Plena cordis puritas; quod reiteratur
Sæpissimè: sic vita se scrutans probatur.
Contritionis actus ad manum habetur,
Culparum confessio pura exercetur;
Ut mundum à vitiis cor custodiatur:
Sanctisque propositis in bono claudatur.
Quintum Quod jam cautius post lapsum incedat;
Ne amplius facilè summum Bonum lædat.
Regula nam præcavet imperfectiones,
Inhibet & corrigit pravas actiones.
Cum nîl sit Religio præterquam severa
Vitæ pœnitentia, & mali austera
Cautela. Hinc memorans pondus peccatorum
Disciplinà satagit correcturam morum

Sextum quòd ſecurius in mente quieſcat,
Virtutum variarum guſtu ſe ineſcat;
Nullam curam ſuſtinet ob corporis victum,
Ab Ordine poſſidens illum & amictum.
Sic in conſcientiâ bonâ ſtat quietè.
Tentationum licet expandatur rete;
In DEO habens opem tranſcendit ſecurè
Mundum, carnem ſuperat, pace fruens purè.
Septimum Quòd crebriùs magnis irroretur
A DEO ſolatiis; ſanctè inſpiretur
In orationibus interdum arcanis,
Meditationibus ac quotidianis:
Divini quoque verbi in auditione,
Sacramentorum uſu & Communione.
Quin ipſi ſolatio ſunt auſteritates
Mortificationes & Adverſitates.
Tandem confidentius quod hic moriatur
Et promiſſionibus Divinis fruatur;
Multis Privilegiis Ordini collatis,
Plenis Indulgentiis impertitis gratis.

Parti-

Participationem habet meritorum,
Orationum opem & benefactorum.
Sub agonem percipit plenum Jub'leum,
PatronorumOrdinis preces apudDeum.
Nonum Copiosius, quòd remuneretur
DEUS ejus opera; Namq; hoc meretur
Vera imitatio vitæ Salvatoris
Religionis votis, ex zelo amoris.
Sic ob mundi & sui abnegationem
Centuplum accipiet, DEI Visionem:
Pro vitæ martyrio atque castitate.
Potietur laureis ac beatitate.

TYPUS EXPRESSUS
VERI RELIGIOSI.

QUisquis verum agere vultReligiosum,
Hic Crucifixi debet Christi ærumnosum
Referre prototypon; nullo gloriari
Nisi cruce Domini: in hac delectari.
Crucem JESUS tenuit à Conceptione,
Sua, in Cruce magnâ resolutione,
Mundi egit salutem: Crucem viam justam,
Ad vitam constituit, & portam angustam.

Ipſemet ſpectaculum mundi mirum factus
In Cruce: Ubi Summæ dat virtutum tractus
Et gratiarum fluxus, JESUS Crucifixus
Cunctis vitæ Regula, & Exemplar fixus
Chriſtianis, qui Crucem poſt ipſum portare
Tenentur: Quidni magis eandem geſtare
Religioſi debent? qui cruci affixi
Sunt; imitationi Domini innixi.
Debent Crucifixum in ſe repræſentare
JESUM: virtutes ejus omnes efformare.
Sunt in ipſum quinimò toti transformandi,
Adeoque ad mortem in cruce firmandi.
Fulgent Crucis cornua hæc Religioſæ,
Sunt ſalutis limina ubi ſpecioſæ.
Infimo Humilitas profunda fixatur
Loco, manſvetudine placidâ fundatur.
Bina Crucis latera, ſunt Patiens ſtatus
Et Pauper: Obediens ſummum tenet latus.
Sunt Perſeverantiâ ad Crucem firmati
Pedes, manus expanſæ liberalitati.

In

In manu dextrâ patet accensa lucerna
Benefactorum lucens & ardens æternâ
Charitate Numinis atque proximorum:
Præbens cunctis operum exempla bonorum.
Cor est sacrum ignei altare amoris,
Vigil, ne deficiat in æstu fervoris.
Manus læua est sui ipsius armata
Mortificatione, disciplinâ rata.
Caput timoris DEI vepribus constrictum,
Gravi Novissimorum trutinâ amictum.
Aures surdæ sepib⁹ spinarum arctantur:
Velo pudicitiæ oculi ligantur.
Labia silentii clauduntur rigore,
Amari os tingitur fellis JESU rore.
Cuncti sensus odii freno mancipati
Et strictæ custodiæ carcere damnati.
Lingva laudem resonat DEI speciosam,
Jugo dorsum sustinet legem amorosam;
Præcincti Angelicâ lumbi castitate:
Caro pœnitentiæ pressa gravitate.
Mentem habet anima in DEO sub mersam,
Rationem lumine verbi DEI tersam;
Intentionem bonam ad DEUM directam:
Ac voluntatem soli Numini affectam.

Cunctis conſcientiam liberam peccatis
Frequenter examinans, purgans ab erratis;
Culpam quamvis minimam per confeſſionem
Tollens: ac fructiferam ſatis factionem.
Totum vult quod vult DEUS, non transgrediendo
DEI beneplacitum: pænas diligendo.
Nihil guſtat, præterquam JESU Paſſionis
Merum participium: omniſque agonis.
Voluptas, Divitiæ, atque Dignitates
Per contemptum mundi ſunt nihileitates:
Ac per ſui contemptum tribulationes
Et angores amat ut conſolationes.
Paratus nam animus cuncta tolerare,
Ob amorem Domini, dolores captare:
Quo illi ſimilior crucifixione
Fiat, & perfectior imitatione.
Ita ſibi auſterus, & DEO devotus,
Proximo miſericors ac benignus totus;
Verus Religioſus à terrâ recedens
Sit: ac deſiderio ad cœlum procedens.

O Utinam in orbe tales consecrentur
Religiosi, cunctis illustres spectentur;
Exemplo pathetico bonæ disciplinæ
Ad apicem gloriæ trahentes Divinæ.

LAUS VIRGINITATIS EJUSQUE PURITATIS

O Sancta Virginitas & Immaculata!
ADEO supra omnes virtutes amata:
Digna Tuo gremio gestare internè:
Quem cœli non poterant capere supernè.
Te quo laudum proferam sermone decoro,
Vel quibus encomiis efferam, ignoro.
Tu hominem pulverem vilem Majestati
Summæ facis proximum, ipsi Puritati.
Magno gaudes decore in Divinitate,
Ab ipsius profluis doni largitate.
Absque Matre Filium virgo gignit Pater,
Absque Patre generat hunce Virgo Mater.

Virgo Patris Filius in æternitate
Ex Virgine naſcitur in Humanitate;
Suum domicilium caſtis decoravit
Virginibus: Angelis dum cœlum ornavit.
Hoc in terris Virgo quod Angelus in cœlo,
Quin majori premitur Homo Virgo prælo:
Abſque carne Angelus Virgo eſt in flore:
Sed Homo Virgo manet cum carnis ardore.
Sic eſt Status Virginis ſupernaturalis,
Abſque carne vivere in carne mortalis;
Eſt eſſe in medio veprium nec cædi:
In medio ignium, nec ab æſtu lædi.
Nec Divinus ſpiritus cum ullo moratur;
Niſi quem caſtitatis decus comitatur.
Ibi habitaculum ſuum firmum capit,
Ubi nulla macula carnis mentem rapit.
Eſt inæſtimabilis hic theſaurus, datus
In vaſis fictilibus, facile ſublatus;
Qui dum ſemel perditur, non recuperatur:
Ut ruptum vas fictile nunquam reſtauratur.

Sola pœnitentia hoc conglutinare
Contritione poteſt, & compaginare;
Fructus dignos peragens ſatisfactione;
Voluntatem reparans emendatione.
Secundum carnem vivens, mortem hic capeſſit,
Hîc æterno animam funere inceſſit.
Qui carnem mortificat ſpiritùs fervore,
Vivet DEI Filii in ævum honore.
Hic Agnum puriſſimum ubique ſequetur,
Cantans novum canticum gaudio fruetur:
Ubi inter lilia paſcitur Electus
Sponſus cum florigeris Sponſis prædilectus.
Orbem matrimonium terrarum diviſum,
Replet: ſed Virginitas caſta paradiſum.
Beati Mundo corde, quoniam videbunt
DEUM Bonum maximum: cum eo gaudebunt.

MEDIA Ad Caſtitatem Omnem Conſervandam.

QUi cupit pertingere ad perfectionem
Hanc, ut mentis habeat incorruptionem.
Carnem ſuam ut hoſtem debet æſtimare
Cum eâ confligere, illam debellare.
Nil ipſi concedere, nihil condonare;
In fręno conſtringere, perpetim domare.
Semper jugum perferat tribulationis,
Ita vincet facile vim tentationis.
Quòd ſi velut aſinus vult recalcitare,
Minus ipſi pabulum opùs miniſtrare;
Prematur ſub ferulà, ſi ſit obſtinata:
Teratur verberibus: ſit pœnâ mulctata.
Abſcindendæ protinus ſunt occaſiones
Omnes, quæ ſuppeditant delectationes.
Carnem rapit minim' voluptatis nictus,
Ut ſæpe incendii dat ſcintilla ictus.
Minima occaſio magnum furem facit;
Minima ſocie as in perverſum jacit.
Carbones abſtrahendi dum olla ferveſcit,
Et rima obturanda dum imber crebreſcit.

Si mente tentatio ſubintrat furtivè,
Quâ animæ caſtitas perditur nocivè,
Dum in cor admittitur; per moram prenſatur,
Conſenſu arripitur: hinc mens trucidatur.
Tùm fugâ præcipiti ſalus eſt quærenda,
In Chriſti vulneribus, Crux eſt amplectenda;
Crucifixi Charitas mente perpendenda:
Dolorumque Paſſio ejus recolenda.
Per peccatum iterum ne crucifigatur
In carne: illecebris ejus affligatur.
Sub ſpinoſo Capite membrum delicatum
Ne ſit: ſed magnanimum ad pœnas paratum.
Ad Intactæ Virginis ſinum recurratur,
Promptum hìc præſidium cuivis donatur
Per Ortûs puriſſimi munimentum tutum,
Sanctæ Virginitatis fortiſſimum ſcutum.
Cumque hic domeſticus premat inimicus,
Qui animæ ſocius, junctus ut amicus;

Ab ipſo propterea ſtatim fugiendum:
Et ut Orci furia otium cavendum.
Sed qui vult ſecurius domi permanere
Debet clauſas feneſtras & portas tenere:
Ne per hæc repagula mors ingrediatur
Culpæ pernicioſa, & mens perimatur.
Aures, oculi, partes ſenſuum extremæ
Ad animam januæ patent non poſtremè.
Hæ arctâ cuſtodiâ erunt occludendæ;
Et ſub vigilantiâ mentis continendæ.
Exinde quotidie ob DEI formanda
Amorem propoſita; & vota firmanda;
Sæpe conſcientiæ examen petendum:
Et à quâvis ſpecie mali abſtinendum.
Hinc DEI Præſentia in mente ferenda:
Cujus pœna ſub actum culpæ eſt timenda.
Ante DEI oculos pudeat patrare,
Quod in viſu hominis nollet acceptare.
Cumque continentia Divinum ſit donum,
Opus orationis erit illi pronum.
Ad DEUM ex intimo corde ſuſpirandnm
Nec unquam deficere ad id impetrandum

Donec DEI gratia in corde lucescat,
Et voluptas amoris ejus effervescat;
Obscœnæ illicia pellens voluptatis:
In DEO delicias præbens castitatis.
Sic sic frustra vigilo domum meam servans
Ni Tuâ custodiâ, ô DEUS ! præser-
vans
Ad sit mihi gratia: Hac si sum armatus,
Nec in ignis medio ero æstuatus.
Ergo fac ut gratia Tua me inundet,
In omnibus casibus prompta me se-
cundet.
Sit mundo in corpore cor integrè
mundum
Tibi semper traditum, ut donum pro-
fundum.

SUSPIRIUM
Pro Dono Castitatis.

DEUS absque tenebris Lumen Ado-
randum,
Absque omni maculâ Speculum mi-
randum;
Actualis Puritas: Tu es immortalis
Spiritus, Castitatis Fons originalis.

Te

Te cernuus invoco, qui à Te creatus
Ex carne & ſpiritu Tuo ſum plaſmatus
Fac ut purus Spiritus corde impolluto
Sim per Tuam gratiam abſque carnis luto.
Nec carnem coinquinet ſpiritûs inſtinctus,
Neque caro ſpiritum. Rogo ut extinctus,
Sit concupiſcentiæ in me omnis motus:
Et menti ſubjaceat appetitus totus
Carnis; ne tangat eam ſenſus voluptatis
Sed ei præſideat virtus caſtitatis.
Solum cor mundum Tuum vultum intuetur:
Ergo cor meum omnem ſemper excretur
Carnis immunditiam, ſolius amoris
Tui vivat ignibus: cum æſtu fervoris.
Sit Tuum ſacrarium anima dicata,
Tibi, Sancti Spiritùs ſponſa obarrhata.
Da, ut ſit memoriâ mens ſemper repellens
Pravæ carnis impetus; regulâ excellens
Verbi Tui: voluntas frenet vi timoris
A Tuis judiciis inſultus ardoris.

Ad concupiſcentiam nullam ſe inclinet,
Voluptatis minimam & umbram declinet;
Contineat oculos ab impuro jactu,
Aures ab auditu, & manus à contactu.
O JESU puriſſime Flos Virginitatis
Tu es Sponſus Virginum, Amor Puritatis,
Agnus abſq́ue macula; fac ut Te ſectari
Poſſim in munditiâ: me abominari.
Lilium Virgineæ pulchrum caſtitatis,
Tu Roſa ſine ſpinis es carnalitatis:
Virgo & Mater; fac me precibus ſervari
Tuis mundum; ut malim mori quam fœdari.
Angelici Spiritus, Virgines cœleſtes,
Virgineæ Animæ, Angeli tereſtres
Adeſte, in prælio animæ moleſto
Cum carne: ne impetu ſuccumbat funeſto.

Suſpirium
Pro Perfectione, Sanctitate, & Beatitudine Conſequenda.

QUi juſſiſti; Eſtote perfecti, ut Pate
Veſter, qui in cœlis eſt: Qui es no
ſter Frater
Perfice nos in Te & per Te; ut curra
mus
Sic ad Tuum bravium: ut compre
hendamus.
Qui dixiſti; Eſtote Sancti, in cœlorum
Regno ſicut reſidens Pater; qui San
ctorum
Sanctus es, ſanctifica: ut nos terræ li
mus
Per Te, in Te, & de Te verè ſancti ſi
mus.
Qui Beatitudinis univerſæ Auctor
Es atque Eſſentia. Eſto nobis Fautor
Per Beatitudines octo pertingendi
Ad hanc: eamque ſemper in Te po
ſidendi.
Qui es Via, Veritas, Vita, Fons ſalutis
Per Te viam arctam nos duc ſemit
tutis

Ve

Veritatis: ad vitæ terminum supernum
Teipsum, Principium & Finem æternum.

AUTHOR LECTORI

HOc Breve Compendium tibi manifestat
VitamSpiritualem &Devotam: præstat
Ut per viam facilem salute fruaris
Æternâ; per quatuor gradus potiaris.
In prima parte habes Spiritûs Doctrinam,
Quid debeas agere ad mentem Divinam.
Secunda sed aperit pars devotionem
Primariam, utilem ac orationem.
Quidquid ad initium Tibi recommendat
In progressu practicat; ut plenè ostendat
Modum cum DEO, JESU, ejus Genitrice,
Angelis, Sanctis cuncta tractandi amicè.
Simul efficaciter animas juvandi
Agonizantes, & ex pœna liberandi
Ignis Purgatorii; seque disponendi
Ad bonam mortem: hancce consequendi

Testa-

Testamenti methodo, quæ ut cognoscatur,
Num sit futura talis, modus explicatur:
Quî Prædestinatio possit penetrari:
Per quæ signa operum valeat sperari.
Ex his signis cernitur quomodo quaterni
Gradus idem sapiant; & actus interni
Externique conspirent ad eandem metam:
Quà Divinum progredi condecet Athletam.
Denique brevissima via commonstratur,
Compendiosissima planè declaratur,
Divinæ voluntatis executione,
Et cum eâ humanæ plenâ unione.
Postremo adnectitur pro Religiosis
Aliqua instructio; quàm compendiosis
Viis possint tendere ad perfectionem:
Et Divinam consequi benedictionem.
His Lector Benevole fruere gratanter,
Atque in his dilige morari constanter;
Per hæc Tibi salutem æternam parabis:
Et beatitudinem cœlestem firmabis.

ELENCHUS
RERUM

137. Du-

Menda ſic emenda.

PAG. 6. Vanis ad Comitum, *lege*, canis ad vomitum. *pag.* 121. Quocunque *lege* Quodcunque. *pag.* 165. hunce *lege* huncce. *pag.* 129. piiſſimi *lege* puriſſimi.

Alia minora Lector benevolus facilè diſpenſabit.

FINIS.